ARISTOTELICA PHILOSOPHIA,

QUÆSTIONIBUS ERUDITIS AC NOTIS SENTENTIARUM

ILLUSTRATA.

AUTHORE
R.P. ANDREA RUDZKI, *SOC: JESU*,
ejuſdem Scientiæ publice Profeſſore.

БІБЛІОТЕКА
ГР. КАТ. КАПІТУЛИ
в Перемишлі

LIBER I.

SUPERIORUM PERMISSU.

Lublini Typis S.R.M. Coll. S.J.

Maximus ac pene ſolus fructus eſt recta cupientium, ut voluntas eorum ad divinam Principum ſcientiam perferatur. *Eumen: Paneg:*

Graviſſimi Principis judicium in minoribus etiam rebus conſequi pulchrum eſt. *Plin:4. ep. 8.*

Ex Bibliotheca-Capituli Ritus graeco-catholici Premisliensis.
LIV E 8
P. XVIII 331

HONORI & GLORIÆ
CELSISSIMI ADAMI
PRINCIPIS
In Klewan & Zukow
CZARTORYSKI,
Ductoris Equitum Loricatæ Cohortis Principis Regii, & Electoralis Saxoniæ,

CELSISSIMORUM
AUGUSTI
PALATINI, Terrarum Ruſſiæ, Podoliæ, & Cohortis Prætorianæ in Exercitu Reg: GENERALIS, Camenecenſis, Laticzovienſis, Kałuſinen: Latovicen: Lubochn: Utellinen &c. &c. PRÆFECTI, Torquati EQUITIS Aquilæ Albæ, S. ANDREÆ, & S. HENRICI.

Ac

MARIÆ SOPHIÆ

De

SIENIAWSCIIS,

MAGNORUM PARENTUM

Magnæ expectationis & Famæ

F I L I I,

Virtutum commendatione, morum elegantiâ, excelſi animi magnitudine, plurimarum Scientiarum peritiâ, comprehenſione, amore, Clariſſimi.

CONSECRATA,

A JOSEPHO ROIOWSKI. Pocillatorida Urzęd: Auditore Philoſophiæ, pro Corona biennalis Curſûs decertante, in Scholis publicis PP. S.J. Lubl: 1750.



Præclarum Patris, Matriſquè *Pogonia Lelita*,
Pulchrè in Te Princeps, fulget utrumq; decus.
Eſt celer ex ortu, eſt clarus Tibi curſus honoris,
Clarus erit noſter, Curſus, utroquè Tuo.

Reſpublica Sapientum
Ad
CELSISSIMUM
PRINCIPEM.

DE Regno voluit *curſu* contendere Leſco,
Sed non ſucceſſit parta Corona dolo,
Fraus infame dedit Nomen, diſcedere juſſus
E vivis, multus quem rapuiſſet equus.
Ex æquo meritiſq; Tuis votoq; Polonum,
Expoſcit magnum Te diadema Ducem,
Purpureum Materna, Tibi nam Luna ſerenum
Promittit meritis calma, Senator eris.
Perge Palatinam, præeunt veſtigia Patris,
Perge Podoliaco Sole nitente viam.
Ibis Eques, vel ſolis iter præeunte ſereno,
Procede & regna: perge viator Eques.
Non poſtremus homo, ſed primos inter, amore
Primus Adam pergas, primus honore Ducum.
In Cydarim Materna Tibi ſe Cynthia flectit,
Poſt Lithavas Mitras Te Diadema petit,
Hoc adeas! voveo, ſapiens regnare rogatus,
Sola Tibi reſtat Regia, perge viam.
Ambiat emeritam frontem Diadema, Sophorum
Expoſcit *curſûs noſtra corona* pedes.

PRIN-

PRINCEPS CELSISSIME.

QUi veram Principis Sapientis gloriam adipiſci voluerit; Sapientis fũgatur officiîs neceſſe. Principum Sapientum officia quatuor rebûs vertuntur: quarum una; ut ſit ipſe ſapiens; id eſt omnibûs optimarum artium experimentîs perpolitus; altera: ut literarum incre-

menta, quibùs Reſpublica, aut magìs efflorеſcit, aut maximè e-get, foveri cupiat, illarumq; amorem, gloriam, & lucem pulcherrimam, omnium mentibus inſeminet; tertia: ut injurias, cavillationes ſplendorem literarum obſcurantes benignè depellat, & ab ictu malè ſentientium (quo antiquorum impetuntur emeriti labores) ſummâ peritiâ, æquanimi de rebus ſenſu, authoritate maxima, veluti invicto umbone protegat, & defendat; poſtrema: quod præcipuus eſt ſapientiæ fructus; ut virtutem & Majorum gloriam literis adjungere contendat. Hæc Sapientiſſimorum Principum officia; quis in TE PRINCEPS Celſiſſime, æquus rerum Arbiter non ſuſpexit? Laudatur in Te Regũ, & Prin-

& Principum cognatus ſangvis, quem è Paterni Maternię; Nominis toti Europæ ampliſſima traxiſti claritudine, ſed, Princeps animus ingenuarum artium peritiſſimus, à Venerandis Majoribus Tuis in Te promanans, quem ad laudem Tui non impellet? Inquilina Celſiſſimæ Familiæ Titulorum ſeries, laudatur non interrupto ordine Annalium monumentîs, ſed ſummus in Te naſcentis eruditionis honos, ſumma indoles peracuti ingenii, ſumma literarum gloria, quo laudis privilegio in Te própagabitur? Admirabili Superûm benignitate natus es ad Faſces, Curules, & hæreditariam Mitram: optimi enim Filii (Puteani ſententiâ) non ſorte natali, aut caſu, ſed cœlorum beneficiò comparantur, ſed eadē

 beni-

benignitate & beneficiô Supêrū, quæ Te Principem Bonîs corporis & animi præclariſſimis affluētem, primis in Europa Dignitatibus deſtinatum, Celſiſſimæ Familiæ & meritorum Hæredē voluit, natus es ad communem literarū famam, eximium decus, & maximam eruditionis exſpectationem. Ad eam enimverò provectus es, quindecem annorum Princeps ingenii ſublimitatem; ut non ſolùm in Juvenibus cæteris commendatum ſuperares literarum profectū, ſed, & adultiorum etiam vinceres excitatam eruditionem. Quanta in Te exterarum lingvarum peritia? quam facilis hiſtoriæ inſtitutionis comprehenſio? artium equeſtrium quàm jucundiſſimus uſus, & exercitatio? Latinitatis nitor,

tor, in Tuo ore, & ſcribendi cultiori charactere, quàm puriſſim9? Reipublicæ inſtituimur filii quantò nobiliores, tantò publicis functionibus magìs idonei. Habēt etenim Majorum veſtigia, quandam vim in animis poſterorum, ut ſcintillîs gloriæ illorum peruuant animos, ad Conſulum Patriæ merita, & coronam eluctantes. Te integrum Princeps eximie vendicat Patria. Vendicat os illud, gratia, & lepore ſuaviſſimo perfuſum, ſermonis affabilitate amabiliſſimū, os inquam, eruditæ eloquentiæ ſedem, vendicat ad Senatûs oracula, frontem omnibus humaniſſimè exporrectam ad gravitatis ideam, Majeſtatem vultûs ad conciliandos primo ſtatim aſpectu hominum animos, Cor Tuum pieta-

te Numinis, Religionis amore, à teneris ardens, ad delicias, & amorem univerſi. Vendicat Caput Muſarum domicilium, optimarum artium conclave, ad inſtituendam Rempublicam optimo eruditionis vigore; ideo enim Tuo excellente ingenio dignæ artes Te comprehendunt, ut earum commendationem extero Orbi promoveas, & Patriæ gloriam, in qua eas accepiſti, tanquam natale earum ſolũ; commendes. Creſcis variarum lingvarum inſtitutô Princeps Capaciſſime, ut cum Te Gallia loquentem gallico, Italia italico', Germania germanico, omnia Regna & integra Europa latinitatis cultrix latino idiomate loquentẽ orbis magnalia audiet, omniũ nationum ut eruditionem, ità famã,

ac

ac præconia, Tuæ intelligentiæ, & variarum rerum comprehenſioni conciliabis. Sanè Princeps Celſiſſime eloquentiſſima Tua eruditio evitabit illam Joſephi Scaligeri, de Terentio Varrone Romanorũ doctiſſimo (qui Lactantii effatô, tam multa legit, ut aliquid ſcribere vacaſſe miremur) cenſuram: ſæpe labitur Varro peregrinarum, ignoratione lingvarum. At hæc non loqui garrulorum more, ſed eruditè loqui ſupra ætatis vires, mirantur eruditi, qui tecum optatiſſimam agendi nacti ſunt occaſionem, quòd miram lingvarum varietatem, hiſtoriæ univerſalis expeditâ notitiâ fæcundes. Ne verò in Patra videaris peregrinus, rerum geſtarũ in Polonia & Lithvania à teneris combibiſti memori-

am,

am, & Tui unius mentē ex omnium mentium, & ſæculorum perfectione in unum ſapientiæ acervum coaleſcere monſtrasti. Hanc hiſtoricæ eruditionis copiam, qua Imperiorum ſtatus, Regnorū ortus, Provinciarum progreſſus, Regum viciſſitudines, decurſus, exitus, accuratè percenſes, quis ſatis enarrare valebit? Nec ſatis Principi animo plura nôſſe, niſi omnia, ad omnem ingenii culturam percalleat. O! præcellſam Principis ADAMI quævis maxima, & ardua comprehendendi capacitatē! Ad omnes optimarum artium diſciplinas natum credimus, & ſimul has in illa excelſa mente, maturo ingenio, uberrimo pectore feliciùs enatas. Geographicas tabulas nō commemoro, quas uno mentis aſpectu

ſpectu clariùs explanas, quã chartæ exporrigunt. Philoſophiæ & Matheſeos rudimenta non revoco, cujus admirabili ardes cupidine & profectu. Ludos equeſtres, Athletarum exercitia, ſcientiã Graphidos, cæterarumq; artium Palæſtrã non repeto, quæ omnia prompta facilitate, ſummâ peritiâ, corporis & animi conformatione feliciùs comprehendis, quàm inſinuata audias, & quod ſpeciali exemplô recenſebunt faſti, quaſi otioſus peragis, ea tamen lege, omnia agendo eas artes, quibûs Principes exerceri ſolent, didiciſti, ut in earum qualibet, cum eruditiſſimis Magiſtris certare poſſis. Itàné tamen ſolus Princeps dicêris ſapiẽs? nil ſuaviùs permovet animos, quàm exemplum Principum, qui vivẽdi,

& di-

& diſcendi præceptiones, in moribus, in vita exhibent. Non ſibi ſapiunt Principes. Non ſoli ſunt ſapientes, quàmvis ſoli vidētur optimis diſciplinîs erudiri. An exiſtimas PRINCEPS Celſiſſime ſtudiis tuis perfectiſſimis, quæ adoleſcentiā Tuam perficiunt, quæ famam, honorem, & admirationem omnium, tibi conciliant, non ineſſe, invitamenta, & igniculos, quibûs ad diſcendum cognoſcendūq; movemur? An non incitabuntur ad ardentiorem curſum more generoſiorū in hyppodromo equorū voce, plauſu, & acclamationibûs Tuis Nobiliores animæ; etiā illæ quas ignava cognitionis, & ſcientiæ intercepit cupido? Annon eadem facient viri in Republica præſtantes, quæ Tu Junior Princeps?

ceps?

ceps? alunt literæ ætatem Tuã, & ſuavitatem cæteris non diffũdent? illuſtrant Celſiſſimos titulos, lumẽ & claritudinem Reipublicæ polo non impertient? amant te Principum delicium, Regum amor, flos eruditionis, & teneriùs à Teadamatæ, ardentes amores ſûi, in pectore aliorum non excitabunt? Diſceptare non vacat, quæ negotia Reipublicæ integritati magìs proficua, literarum, an bellorum? Celſiſſima Familia, utraq; fovet, & tuetur, utriſq; proſpicit, in utrorumq;te fortuna verſari cupit. Aſſequeris proculdubiò, quæ Celſiſſimis Progenitoribus bono publico unicè intentis, ineſt ſolicitudo, ut Patriam ſuam præcipuîs cœterorum Regnorum ornamentîs, in eam transferendîs condecoret,

coret,

coret, quæ optimis meliora ſunt, illi ſeligat & præordinet, ea, & Te invadat: ut literarum acceſſione guſtum, veræ ſapientiæ Regno ingeneres, ac Viros literatos favoribûs, gratiîs, ac præmiîs accumules. Tuæ Celſiſſimæ Domûs character eſt dignos, prudentes, eruditos, ad gubernacula Reipublicæ idoneos cenſere, & ſi quos dignos ſuâ benevolentiâ ſuſpicit, illos curarũ, & gratiæ ſuæ ſtatuit poſſeſſores. Nec mirùm quòd tam ſolertiſſimus ſapientum amor Celſiſſimam Domum Tuam inſedit; ad ea enim ſtudia magìs propenſi ſumus, quæ exercemus, & novimus. Sapiens ſapientem amore proſequitur, & communi quodam vinculô conjũctum fovet. Commemorant poſteri monumenta eruditionis Caſi-

miri Principis Proavi Tui, Archiepiſcopi Gneſnenſis, Doctorũ laureâ in Collegio Romano inſigniti, ſub Magiſtro Theologiæ Lugone, pòſt Eminentiſſimo, in bibliotheca Collegio Ravenſi S. J. liberali benevolentia donata, & manu ſcriptîs propriîs, luce publica dignis, in quorum nonnullis typô divulgata Electa Divi Auguſtini, leguntur. In partem gloriæ immortalis, & eruditionis Auguſtini, venit electus ex pluribus Princeps Caſimirus, qui Auguſtinum in Electis juvit, & optimi ordinis inſpiravit animam. Dabis veniã PRINCEPS Celſiſſime, quòd mortuos in teſtimonium eruditionis, Domui Tuæ congenitæ vocem, quia ſinceriùs de abſentibus loquimur, quód non omnes, quia bre-

vitate

vitate placemus, & perſpicua omnibus non repetimuś, quòd nō vivos, quia modeſtiam Celſiſſimorum *Principum* lædere veremur, magìs laudanda agere, quàm laudari cupientem. Verùm, officiū ſinceræ laudis nobis propriū, adimplet exterorum famā, Regnorū præconia, *Patriæ* noſtræ opinio, quæ in antiquiſſimam Gentis tuæ gloriā, hæreditarios honores, Caſtrorum triumphos, conſiliorum pondus, agendi induſtriam, Civilis ſapientiæ, & ſtatûs peritiam delapſam cœlô conſentit. Hæc, & majora cooperienda ſunt in oratione, ut vult Fabius, cum pro dignitate exprimi non poſſunt, ſed licèt ſtrictim revocanda, quòd, & Philoſophiæ, & literarum honos in tuis manibus, in tua Celſiſſima Familia,

milia, in Avitis Majorū atriis cō-
mune eruditionis invenerit rece-
ptaculum, & illuc conſummato
biennii labore approperet, unde
*P*rincipes prodeunt ſapientes. O!
quàm geſtiente animo in Tuam
Celſiſſimam Familiam, tanquam
Muſarum ſolum & aſylum ſe re-
cipit *P*eripatetica *P*hiloſophia!
Quid tutum & tranquillum ſibi nō
pollicetur contra turbulentos No-
vatores, cum tutelam & tranquil-
litatem *P*atriæ, ea Domo proma-
nare advertat? quid defenſioni ſuæ
à telis recentiorum non propitiū,
cum defenſionem, & præſidium
Reipublicæ in Celſiſſima Gente
Tua recognoſcat? quid non feli-
ciori ſuccedere alea in litigantiū
*P*hiloſophorum cauſa, cum *P*rin-
ceps Celſiſſime ab ineunte ætate,
propo-

propôſito tibi literarum curriculô, Judex & Arbiter, accuſantes & reos, bellum, & belli originem, eventum, & pericula perſpicuè intelligas? Enutriunt nonnullos ſcientiæ, ut parentes ſuam prolē, ac tandem ea ſpe proficiunt, quòd futuros præſagiant orbitatis ſuæ tutores & patronos. Alit non neminem literarum ardor, ut illo inclareſcat, & Familiæ lucem augeat. Eluctantur reliqui ad honorem ſcientiarum, & ſcientias comparandas ſtatuunt, tanquam gladium, & arma, quæ expedivit periculorum metus, ad proprii capitis defenſionem. Te *PRINCEPS* Celſiſſime; Virtus, & Sapiētia, è Celſiſſimorum *P*arentum auguſto ſinu, in ſuum accepit, ablactavit, à cunis ſtatim, & honeſtiſ-

ſimîs

ſimîs *Principum* moribûs, & adulto literarum profectu ſuccreſcentem eff rmavit, ut fulgentiſſimîs titulîs, ſplendorem literarum accumulares, ſupremîs Domûs Celſiſſimæ faſcibûs, honorem eruditionis amplificares, Divina ferè mēte, vi ingenii feraciſſima, invictiſſima Nominis tutelâ, defenſionē impertires. Revolvis mente ſagaciſſima quanta in Europa gliſcūt literarum diſſidia, & mutuò in ferendis ſibi decertant moleſtiis, quarum nonnullæ in Regno noſtro diſſimulatione, & modicâ patientiâ exaſperante magìs, & vincente invidorum molimina, ſopitæ, cœteræ ſcriptorum copiâ in dies creſcente everſæ, reliquæ ſpōte ſua, ùtpote langvidioribus innixæ fundamentis, mutatîs fortu-

)b(næ

næ vicibûs ruentes in præceps, & ruituræ. Ad te Princeps literate altercantium ſcientiarum devolvuntur certamina, ut litem diripias, te invitant antiquorum & recentiorum negotia, ut pacem cõcilies, ea dexteritate in Republica literaria, quâ Celſiſſimus Genito AUGUSTUS, cum Celſiſſimi[r] Patruis Tuis THEODORO E[s]piſcopo Poſnanienſi, FRIDERICO Procancellario M.D.L., JOSEPHO, Vexillifero M.D.L. Viris ſæculorum memoriâ laudatiſſimis in Polonia & Regnis. Videmus illa inter Vos partita eſſe officia, ut Celſiſſimi Majores Tui, ætate & meritîs graves Reipublicæ-Tu literarum molem ſuſtineas, illi bono publico conſiliîs, tu immunitati ſcientiarum ingenii adjumẽtîs

tîs proſpiciás. Nihil magìs gratioſum me facturum ſpero, quàm cùm Celſiſſimos Genitores, quorum memoriâ nihil Tibi ſvaviùs, commemorem. Illos nactus es Parentes, quorum Celſiſſimus AUGUSTUS, Tuus & Reipublicæ Pater, eò omnem vitæ ſuæ rationē tranſmiſit, ut Magnam Nominis ſui famam, ex maximis in Rempublicam meritis collatis, Tibi, & poſteritati relinquat. Celſiſſima de SIENIAVIIS Mater probitate & ſingulari prudentia commendatiſſima, Te ADAMUM, pietatis, Reipublicæ, & ſcientiarum emolumēto profudit, utriquè Parentes virtutis & optimæ famæ procudendo in Te exemplar, inſtitutionem Principibus debitam, Præceptores doctiſſimos, gloriam Nominis

celeberrimi providendo, ut ſpiritum Principis, quem naturæ debes, Patriæ, & literis promovendis, defendendis, reſtitueres. Cõmendabunt Te immortales faſti, memor ſis, ut Philoſophiæ ſtudium Celſiſſimi Nominis Tui commendatione in Polonia perennet. Conſilia & Senatûs oracula depromes futurus Patriæ Conſul, conſule literarum integritati, nec illas corrumpi ingeniorum & tẽporum mordacitate ſinas, nec cõtentionum tempeſtate exſtingvi. Quid ego hactenus artium omniũ gloriam, incrementum, tutelam in Te laudo? potuitné quis Tuæ humanitatis partem deguſtare, quin ità temperatam omnium ſcientiarum peritiam ſuſpiciat, ut non quæſita ſed ſpontè influens

com-

com̃merciô te cũ nobilitata docti-
ores efficiat? & ea, quæ recenſui,
non polliceatur? Enimverò, ma-
gìs né tamen laudandam reor in
Te Principe doctiſſimo eruditi-
onem tam multiplicem, tam exi-
miam, an ſingulares animi dotes
morumq́; amuſſim, liberali opti-
marum artium induſtria ſociatam?
Vitium eſſe, ab eruditìs didiciſſe
me fateor, artes liberales profite-
ri, & naturæ animiq́; Magiſtros,
mores pulcherrimos in mentem
non inducere. Tu PRINCEPS
Celſiſſime, eo pacto à teneris ho-
neſtiſſimîs Sapientum Principum
exercitationibûs imbui Te adni-
teris, ut amicas, cognataſq́; ſa-
pientiæ virtutes in *Principe* eru-
dito, condiscas. Etenim qui è
mente *Principis* Oratorum omni-
bûs

bûs virtutibûs inſtructi & ornati ſunt, tum ſapientes, tum Viri boni dicuntur. Sapientia *Principum*, virtutum Magiſtra, innocentiæ procreatrix & cuſtos, pietatis Mater, expultrix vitiorum. Elucet pallor in vultu, cùm libros diligẽtiùs revolvis, ſed pudor & verecundia innocentiæ comes in facie emicat. Oculi vigiliis literarum aſſveti, continuam lectionem indicant, ſed & modeſtiam pulchrioris in anima ſimulacri indicem præſignant. Hinc eruditio in capite, illinc majeſtas in fronte, hinc lingvarum multiplex ſcientia in loquendo, illinc affabilitas, comitas, & ſermonis elegantia in converſando. *Præfers* promptitudinem ingenii ad diſciplinarum augmentum, ſed & obedientiam

animi

animi, ad nutus & voluntatē Majorum. Athletarum exercitationibûs corpus tenerrimum exagitas, ſed & animam Principum virtutibûs abſolutam reddis. Quare præſtantiſſimorum & ſapientū Principum, virtus in te ſpectatur, quâ Indolem Tuam veluti firmioribûs adminiculîs ſuſtentas. Virtus, inquam, quæ inperſpiciendo, quid in quaq; re verum verſatur, quid ſincerum, quid fucatū, quid conſentaneum cuique, quid conſequens, quæ appetitiones rationi obedientes frænat, motûs animi, aut perturbatos moderatur, aut proſpero afflatu ſerenos immutatos conſervat, quæ clementiam, liberalitatem, juſtitiam, prudentiā tanquam Principum lumina, & dotes eximias inſerit, & ingenerat.

rat. Accedit pervagata Celſiſſimæ Domus multorum, & magnorum meritorum in *P*atriam, in Tuos, in omne genus hominum, fama.(quam gloriam dicimus,) quæ virtutem & ſapientiam tuam exſtimulat comitatur, & coronat. Hanc gloriam multitudinis amor in Celſiſſimis *P*arentibus Tuis, & in Te PRINCEPS amande, commendat, intaminatæ fidei ratio inſinuat, admiratio populi divulgat. Honeſtum & decorum in Te dicimus, quidquid probæ, & ſelectæ multitudini placet, animoq; omnium natura & ſpecie commovet, maximèq; perlucet ex ipſa opinione famæ intra & extra *P*atriam Celſiſſimorum *P*arentum AUGUSTI & SO*P*HIÆ, tum ex Tuis virtutibus quas è clariſ-

ſimo

ſimo Parentum ſangvine, & ab optima Indole præſtantiſſimarũ dotum formatrice hauſiſti, idcirco eos, in quibus virtutes ſapientiæ admixtas eſſe remur, à natura ipſa diligere, &laudare cogimur. Fidem omnium deſpondit ſibi Celſiſſima Domus, Tua ad maxima nata Indoles, fidem enim habemus iis, quos plus intelligere, quàm nos arbitramur, quoſquè & futura proſpicere credimus, & cùm res in diſcrimen agatur, conſilium ex tempore communicare poſſe, & fidelitatis, rectitudinis incorruptæ in Patriam typũ præferre. Admirationem tandem populi in Te verſari advertimus. Quem enim Tua in ſubditos clementia, Tuum in omnes ingenium mite, Tua pietas, Tua innata mo-

ta mo-

ta morum ſvavitas, Tua agendi tecum inſatiabilis dulcedo, imò conſpectus ipſe Tûi, gratioſus, Tuus literarum amor admiratione defixum non teneat? Exempla virtutum efficaciora in Principibus, ſed in eis, quorum virtus, ſapientia, gloria, ætatis ſupergreſſa limites, earum actionum quas faciunt rari, pariunt miraculum, & indè aliquid magnum præter opinionem, & maximum præſagiunt. Quamobrem cauſam propoſiti noſtri ſerò quidem, ſed opportunè evolvimus, quæ nos impulit, ut Tibi PRINCEPS Celſiſſime, Philoſophiæ Peripateticæ laborem in hac tenuiori opella dicaremus. Admittes minimum affectûs teſtimonium, qui maximum vendicas. Magnorum Nominum gloria,

ria, caret plerumq; Maximorum Virorum celebritate, ſi etiam minoribûs teſtibûs non eſt contenta. Attendant poſteri diligenter: Celſiſſimus ADAMUS Principum ſapientum officia, induſtriâ præſtantiſſimâ, habilitate ad omnia honeſta innata, ſtudiîs optimîs depingere conatur, Philoſophiam; id eſt ſapientiam ipſam tanquam munus ſapientum præſtantiſſimū offerre illi neceſſe. Celſiſſimus ADAMUS omnium literarum memoriâ celebrandus, multiplicium lingvarum peritiâ, optimarum artium copiâ ornatiſſimus, à Græcis ad Latinos pervagatam, à Latinis excultam Philoſophiam, tanquam Principum olìm amorem, & ornamentum, in Alexandro Magno, Theodoſio, & cœteris commendatiſſi-

datiſſimum, conſecrare illi neceſſe. Celſiſſimus ADAMUS virtutibûs cum literis ſociatîs, virtutem & literas; Principum lumen, & gloriam immortalem in mores transformavit; Chriſtianam ſcientiam quæ docet ſapere, & probè vivere, an non juſtum, & glorioſum devovere? Suſcipies munus hoc PRINCEPS Celſiſſime, ſi tuam dignitatem ſpectemus, perexiguum, ſi vires ingenii & tenuitatem noſtram, mediocre, ſi animum Familiæ meæ Tuo Celſiſſimo Nomini devinctiſſimæ, ſi ſcientiæ hujus, quam biennali curſu abſolvi, ſi Scholarum Lublinenſium, quarum eruditionem delibavi, ſi Societatis JESU, cujus inſtitutionem colui, votum, certè maximum. Celſiſſi-

mis

mis Genitoribus Tuis, toti venerandæ Genti, & Tibi PRINCEPS Humaniſſime devota Domus mea primitias obſequiorum, ſignificationem propenſioris animi offert, benignè accipies, ea ſaltem, qua ſoles ſingulos humanitate. Ariſtotelica Philoſophia de Fide, Patria, *P*roceribus in Orthodoxo Regno bene merita, ſub Tui Nominis ſe recipit Celſitudinem, faventiſſimo corde admittes, quo, cœteras ſcientias in pectus. Et Familia mea Celſiſſimæ Domui Tuæ ſubjectiſſima, & Ariſtotelis *P*hiloſophia ſub immortalis Nominis Tui gloria, (quam Tibi ſpondemus) ſperat ſe perennaturam, unàque cum ea Religione, quam eruditionis meæ

na-

nactus ſum, à Diis immortalibus Inſtitutricem, & Magiſtram, incrementum gratiarum, præſidium, tutelam, & benevolentiam expoſcit, ego Principis memoriam, & gratias.

Ad Lectorem.

QUicunque admiſſam à nobis univerſæ Philoſophiæ operam mente magìs, quàm oculîs revolverit; perſpiciet, quòd quamvis difficile ſit intelligere, quid deceat Philoſophiam Ariſtotelicam, facilè non indecorum habebit, & minutatim quæſitis, reſponsîsq; planioribûs, & ſententias ſenſûi Peripati affixas Authorum luminibûs illuſtrari. Primum eſt, quod jucundiſſima interrogandi & reſpondendi exſpoſcit varietas; quâ tum Ciceronis partitiones Marco Filio ſûo conſignatæ; tum Philoſophis antiquis, præcipuè Socrati, & Platoni vetuſtiſſima ediſſerendi dialogica methodus; tum SS. Patrum ſolertia in erudiendis Chriſtianis, vel confutandîs Hæreticorum erroribûs communire deducitur. Quid enim Chriſtiano & politico Auditori tam ſvave eſt, quàm cùm interroganti eruditè repoſitum audiat, vel reſpondentem quæſtionibûs pergratis laceret, & ſolicitet? De Philoſophiæ Peripateticæ naturâ, utilitate, gloriâ, tota nobis conſtrictiores quæſtiones efformandi ratio, quam cùm præſenti literarum tempeſtate à quibuſdam Recentiorum probrîs, & cavillationibûs expurgare conamur; dilucidè Peripateticæ Philoſophiæ pretium, & theſaurum Chriſtianæ ſapientiæ in ea reconditum, ad locupletandam Sapientum Rempublicam convertimus. Ne verò noſtro ſenſu lo-

qui, & perſcribere videamur; qui in amplificanda Peripateticæ ſcientiæ gloria poſthabendus opulentiſſimis omnium eruditorum (Lutherū, & Calvinum minimè eruditos excipias) teſtimoniis; plurima ex Cardinali Ptolomæo, Bellarmino, Kirchero, Cano, Purchotio, Ricciolo, Corſino, Schotto, Gengel, Faciolatti, Gvevara, Pannicio, Ulloa, Cicerone, aliiſq; (SS. Patrum, quorum potior dignitas non immemores) excerpta producemꝰ: ut opellæ noſtræ propoſitum, magnorum Virorum recitatione commendetur, & commendatio ad biennii couſūmatum laborem non inglorie traducatur. Alterum; quod theſes Philoſophicas attinet, quas conſvetudine Majorum receptum, cùm Philoſophi officium exagitur, in lucem prodere, in illiſq; ſenſum animi ſui aperire: eas tam perſpicuè noſtri juris facere volumus; ut; & utilitas in Philoſophiæ noſtræ pertractatione, & major perſpicuitas; quæ brevitate ſententiarum obſcurari ſolet; & majeſtas tenuitati ſentiendi ſuperadjecta, & gratia legentibus innata major promineat, ſtudiumq; Philoſophiæ de[...]

QUÆ-

QUÆSTIONES ERUDITÆ
Theſes ex univerſa Philoſophia præeuntes.
De Philoſophiæ natura, multiplicitate, utilitate.

§ 1mus.
De natura & origine Philoſophiæ.

Q. I. *Quid nomen Philoſophia ſonat?*

℞. Amorem ſapientiæ. *Philo* declaratur ex Græco *amor*; *Sophia*, *Sapientia*. * Quare nequaquam Philoſophus dicendus, qui amorem Sapientiæ excluſit corde.

Q. II. *Quis 1mus Philoſophiæ, ſive Philoſophi nomen invenit?*

℞. Pythagoras, Sapientiæ gloria.

Q. III. *Quâ induſtriâ?*

℞. Diſſertatio de Divinis, humaniſq;

* Uſus me genuit, mater peperit memoria, *Sophiam* vocant me Graji, vos Sapientiam. *Afranius apud Gellium l. 13. c. 8.*

rebus coram Leonte Phlæſiorum Tyranno, nominis Philoſophi occaſionem dedit: cùm enim quæreretur, cui ſcientiæ eximiã ſuam locaret operam, ſapientẽ (*a*) ſe fateri veritus, tum ingenita modeſtiæ lege, tum elatioris animi probroſâ contumeliâ; amatorem ſe ſapiẽtiæ, ſive Philoſophũ declaravit.

Q. IV. *Quid rei obtinet, præter nomen Philoſophia?*

℞. Plato appellare illam mortem corporis, vitam animæ non dubitavit, quoniã Philoſophia abducit animum à corporis & animi cupiditatibus, docetq; vivere non vitam corporalem, id eſt, ſenſuum blandimẽtis, & animalibus communem; ſed rationalem & rationis officio optimè conſonam. Ab aliis: animi medicina, expultrix vitiorum, donum, & inventum Deorum glorioſiùs celebrata. Ciceronis elegantiſſima deſcriptio perplacet magìs. Eſt *rerum Divinarum & humanarum Scientia, cognitioq;*

quæ

(a) Solos ſapientes eſſe, ſi diſtortiſſimi ſint, formoſos; ſi mendiciſſimi, divites; ſi ſervitutẽ ſerviant, Reges: eos autem, qui ſapientes non ſint; fugitivos, exules, hoſtes, inſanos denique. *Cic: pro Muræn.*

Interrogatus quidam Philoſophus Patriâ Thebanus: cur antiqui tam ſapientes fuerint, hujꝰ ævi homines adeo ſint ſtolidi? repoſuit: quoniam priſcorum unica curâ erat ſapere, at præſentium contrà, unicus labor habere. *Ex Horol: Princ.*

quæ cujuſque rei cauſa ſit. Princeps Oratorum in deſcriptione Philoſophiæ non videtur diſcedere ab Ariſtotele, qui Philoſophiam eorum, quæ ſunt, & prout ſunt, cognitionem pronuntiavit.

Q. V. *Quid demonſtratur per utramque Philoſophiæ deſcriptionem?*

℞. Quòd Philoſophia quidquid uberrimò pertractat ſtudiò, eorum naturam non rudiori traducat in humanum intellectum perceptione, ſed originem, cauſas, principia accuratiùs inveſtigat: illum enim perfectum Philoſophum, fas eſt compellare, qui rerum omnium cauſas fuerit aſſecutus.

Q. VI. *Quomodo enata philoſophandi ratio?*

℞. Homines cognoſcendo rerum effectus, & inveſtigando curiosâ mentis acie illorum fontes & principia, admiratione confìgi cœperunt, acq; demum philoſophari. Quamobrem clarè Plato, ait, (*b*) Philoſophiam ab admiratione ortam eſſe: *Valdè Philoſophi eſt iſta affectio, admirari, nec alia fuit origo, quàm iſta.* *

Q. VII. *Qui primus Scientiæ Philiſophicæ Author?*

 ℞. Ge-

(b) In. Theæt: * Rudis fuit priſcorum vita, atque ſinè literis non minùs tamen ingenioſa fuit in illis obſervatio, quàm nunc eſt ratio, *Plin: l. 18. 29.*

℞. Generis humani Parens Adamus, cui infuſam fuiſſe rerum naturalium comprehenſionem, abſoluta ſtatûs innocentiæ ſuadet perfectio. Unde quòd noſtri generis conditor Adam, ſingulis animalibus nomina 1mus impoſuerit, id ſummæ ſapientiæ viſum eſt Pythagoræ.

Q. VIII. *An ſucceſſores Adæ notitiam nacti ſunt Philoſophiæ?*

℞. Succeſſores Adæ communicatā ſortitos fuiſſe conſtat, ex Joſepho non poſtremæ fidei, (*c*) Sethi Nepotes Cœlorum ordinem ac ſiderum curſus obſervâſſe, nevé inventa ex hominum notitiâ dilaberentur, Adamum; cùm primus, antiquis generalem mundi interitum, unum incendiô, diluviô alterum prædixiſſet; duas excitâſſe columnas: alteram lateritiam, alteram lapideam; & utrique ſua inventa inſculpſiſſe, ut ſi lateritia diluviô periret, ſuperſtes eſſet lapidea, quæ hominibus diſcendi copiam faceret.

Q. IX. *Poſt diluvium quis Philoſophiam edocuit?*

℞. Nòé illam tradidit Armenis, tranſiit tandem ad Abraham, ab Abrahamo ad Moyſen, à quo ad Ægyptios, Chaldæos, à Chaldæis ad Græcos transmigravit.

§ 2dus.

(c) *L.1. Antiq. Judaic. c.13.*

§ 2dus.
De diviſione Philoſophiæ.

DIviſioni Philoſophiæ, & exactæ in ſuas partes diſtributioni inſtituta ſapientiſſimi Senecæ (*d*) proludere videtur præcautio: Philoſophiam in partes non in fruſta dividam: dividi enim illam, non concidi, utile eſt; nam comprehendere quemadmodum maxima, ità minima difficilè.

Q. I. *Quotuplex Philoſophia?*

℞. Prima & Secunda.

Q. II. *Quid prima Philoſophia?*

℞. Quæ cognoſcit res per principia lumine naturæ nota, & veritates evidentiſſimas; quales ſunt: Implicat idem eſſe & non eſſe. Omne eſt aut non eſt. Quidquid affirmatur de uno ex identificatis realiter adæquatè, affirmatur & de alio. Omne totum eſt majus ſua parte &c.

Q. III. *Quid ſecunda Philoſophia?*

℞. Quæ cognoſcit res per rationes experimentales, & ſenſibûs noſtrîs perceptas, quarum adminiculô generales quædam elaborantur veritates, quibûs tanquam infallibilibûs à naturâ ſubnixi ſingularium demonſtramus certiſſimam conformitatem *v. g.* cùm cognoſcitur ignis in fornace Babyloni-

(d) *Epiſt*: 89.

ca naturâ calefactivus, cognoſcitur ea rationis paritate; quia vel ſimilem ignē compertum eſt calefacere, vel à plurimis experientiâ ſuffultîs auditum eſt ſimiles ignes calefacere; & oppoſitum nunquam probatum eſt conſtare. Ex his non interruptæ experientiæ evidentiis enaſcitur, vel hoc generale principium: ignis naturaliter eſt calefactivus; vel univerſalis notio: omnis ignis vel exiſtens, vel poſſibilis eſt calefactivus.

Q. IV. *Ad primam Philoſophiā quænam partes referantur?*

℞. Metaphyſica, ſeu ultranaturalis ſcientia, Mathematica, Logica, ſeu rationalis ſcientia, Ethica vel moralis Philoſophia, & Phyſica generalis, qua parte rationibûs à lumine naturæ petitîs ſuas veritates demonſtrat.

Q. V. *Ad ſecundam Philoſophiā quæ?*

℞. Phyſica, Mathematica experimentalis, practicîs & experimentalibûs causîs illuſtrata.

Q. VI. *Quænam alia Philoſophiæ partitio?*

℞. Ab illuſtrioribûs Philoſophorum ſectis * promanans, eorumq; nominibûs celeberrima.

Q. VII.

* Secta eſt quædam hominum multitudo, quæ ab aliis quodammodo ſecta & diviſa certum doctrinæ genus ſub aliquo duce ſectatur. Hinc ſecta dicitur vel à ſecando, vel à ſectando.

Q. VII. *Cedo illam?*

℞. Apud Græcos dicebatur Dogmatica & Academica.

Q. VIII. *Quid Dogmatica?*

℞. Eos comprehendebat Philoſophos, qui veritatem aſſecutos ſe eſſe ſaltem in pluribus comprehendebant.

Q. IX. *Quid Academica?* *

℞. Eos comprehendit Philoſophos, qui nihil comprehendi poſſe dicebant, vel quòd res naturâ ſuâ comprehendi non poſſent, vel quòd homines comprehendendi regulîs ac viribûs careant, ut tamen verum inveniāt, diſputationes inſtituere, inventū verò abſcondere neceſſe; ne, ut Cic: (*e*) ait: qui audiunt, authoritate potius, quàm ratione ducantur.

Q. X. *Dogmatica in quas Sectas diviſa?*

℞. In Jonicam & Italicam.

Q. XI. *Quis dux & author Sectæ Jonicæ?*

℞. Thales ex ſeptem ſapientibus ** dictus Mileſius ab urbe *Miletum* Patriâ ſuâ,

quæ

* Academica dicta ab Academia, locô nemorosô, in ſuburbio Athenarum ſitô, quem Philoſophorum exercitationibus conſecrârat heros nobilis nomine *Academus*. (e) Cic: *Acad. 4. c. 18.* ** Septem Græciæ Sapientes: Thales, Pittacus, Bias, Solon, Cleobulus, Chilon, Periander ſeu Myſon. Hermippus apud Laërtiū 17. enumerat.

quæ urbs caput fuerat & Metropolis Joniæ Provinciæ. Mortuus annô ætatis 70. à mundo condito 3365. Thaletem ſecuti Anaximander, Anaximenes, Anaxagoras, qui ex Jonia Athenas ſcholam tranſtulit; ejus diſcipulus Archelaus, Socratis Præceptor, in quo Jonica Secta defecit.

Q. XII. *Quis Italicæ?*

℞. Pythagoras Samius, Pherecidis Syri diſcipulus, Crotonam in Italia veniens tẽpore Servii Tullii Romanorum Regis 20. annorum Philoſophiæ propagator, Italicam ſectam inſtituit, obiit ad annũ mundi 3607. Pythagoram ſecuti Charondes, Rhegineró, Zaleucus Socrenſium, Zamolxis Getarum Legis-latores, Architas, ejuſq; Auditor Hyppaſus, Heracliti Præceptor, Ocelus, Ariſtarchus, Ecphantus, Empedocles, Xenophanes, pòſt Eleaticæ Sectæ ab Elea Parmenidis & Zenonis patria, qui illi poſt Xenophanem præfuerunt, inſtitutor. Parmenidem ſecutus Zeno, & Meliſſus, Zenonem Leucippus, Leucippum Democritus &c.

Q. XIII. *Secta Academica in quas partes diffuſa?*

℞. In veterem, mediam, & novam.

Q. XIV. *Quid hæ Sectæ?*

℞. Veteres Academici nihil ſcire poſſe dicebant, unicaq; illorum ſcientia claſſi-

ca *ni-*

ca *nihil ſciri.* Medii ne hoc quidem comprehendi, & omnia vitiô quodam eſſe incomprehenſibilia. Novi exiſtimabant, res naturâ ſuâ eſſe comprehenſibiles, ſed imbecillitate noſtra comprehendi non poſſe.

Q. XV. *Quis veteris Princeps & Author?*

℞. Socrates Archelai Anaxagoræ diſcipuli Auditor, cujus fuêre alumni: Ariſtippus Cineraicæ Sectæ ſive Hedonicæ (quæ voluptuoſa vocabatur, quòd in illa voluptas ſummum bonum) Author; Anthiſtenes Cynicæ, * Plato præ cæteris, Athenienſis, octo annorum audivit Socratẽ, à quo veteres Academici dicti ſunt Platonici. Plato ſucceſſit Socrati, ejuſq; methodũ in Philoſophia amplexus eſt, multa in *utrãque partem* ut Tullius ait, *diſſerendo.*

Q. XVI. *Quis media?*

℞. Arceſila Crantoris Auditor, methodum Socratis excitavit, quam à morte Platonis tanquam timidam & puſillæ mentis, abjecerunt ejus hæredes; fluctuanti tamen rationum æquilibriô, eam adjecit opinionẽ, ut non modò nihil ſciri affirmaret cum Socrate,

* Cynicæ nomen à Cinoſarge gymnaſio, hoc eſt: candidi canis templô, ubi docere conſueverat, quod Didymus quidam conſtruxerat Herculi, commotus, quòd candidus canis victimam rapuiſſet. Cinici etiam dicti à canina irridendi licentia, & morſu cavillantium.

crate, ſed nè poſſe quidem ſciri contenderet. Hinc, ex hoc inhabilitatis fonte profluxit Acalepticorum hæreſis.

Q. XVII. *Quis novæ?*

℞. Evander & præcipuè Carneades, qui Romæ magna cum eloquentia novorum Academicorum doctrinam explanavit. Diſcipulos nactus Clitomachum, Philonem, Anthiochum, à quibus edoctus eſt Cicero Academicus, Platonicæ methodi aſſertor.

Q. XVIII. *Quæ & quot Academicorum fuêre ſancita?*

℞. Quatuor. *1mò*: Nihil comprehendi. *2dò*. Sapientem nulli unquam rei aſſenſurum. *3tiò*. Omnia æqualiter eſſe incerta, dubia, incognita, imperceptibilia. *4tò*. Sapientem nihil probaturum, opinaturum.

Q. XIX. *In quas Sectas degeneravit ab obitu Platonis Academicorum ſtudium?*

℞. Repudiata Socratis methodo Dogmaticam Philoſophiam amplexi ſunt ſucceſſores ejus, quæ ternas Sectarum claſſes conſtituit Stoicorum, Epicureorum, & Peripateticorum.

Q. XX. *Quis Stoicæ Sectæ propagator?* *

℞. Ze-

* M. Aurelius tantæ erat tranquillitatis, ut vultum nunquam mutaverit mœrore vel gaudio, Philoſophiæ deditus Stoicæ. *Capitol:*

℞. Zeno Atticus * à Cittio Cypri oppido, Cratetis auditor, qui ſcholæ duodecem annîs præfuit. Cleanthes, Chryſippus, Zeno Sydonius, Diogenes, Babylonius, Antipater, Panetias, Poſſidonius, ſibi ordine ſuccedentes, aliiq; innumeri ſapientiſſimi Viri hanc Sectam illuſtrârunt. ** Inter Stoicos numerandus eſt Epictetus, & Seneca, qui ſeveras illorum ineptias plerumque vellicat, maximè ep: 113. ridiculum aſſertum: *Virtutes, vitia, errores, animi motus, animalia eſſe.*

Q. XXI. *Quis Epicurea Secta?*

℞. Epicurus non ignobilis Philoſophus, ſi ingenii laudes ad ſenſuum voluptatem deflectentes malè auditâ in ſcholis non depravâſſet opinione. Pervulgatum olim in Græcia, Italiâ, hujus Philoſophi nomẽ, adeo, ut cum relicta Pyrrhonicorum ſententiâ increbreſcentem Atomiſtarũ hypotheſim amplexus ſit, illamq; luculentiùs explanaverit, plurimos, traxerit ſuæ Sectæ amatores. Tantùm etiã conſenſione Veterũ inclaruit, ut æreas ſtatuas ei devovere, natalem ejus di-

* Zeno, quod erat ſenſu comprehenſum, id ipſum ſenſum appellabat, & ſi ità erat comprehenſum, ut convelli ratione non poſſet, ſcientiam; ſin aliter, inſcientiam nominabat; ex qua exiſteret etiam opinio, quæ eſſet imbecilla, & cum falſo, incognitoq; communis. *Cic: in Acad: 1, c. 10. Stoicorum ſcientiam explicat.*

** Nacta eſt nomen hæc ſecta à Stoa porticu Athenarum, ad quam diſceptaturi confluebant,

em celebrare, ipſius imaginem in poculis & annulis geſtare conſueverint. Lucretius integram Epicuri Philoſophiam in ſex libros exdiviſam verſibûs expoſuit, Gaſſendus oblivionis ſquallore confectam expoſuit, illuſtravit, noſtriſq; temporibûs amplificatā & tot recentiorum Philoſophorum præſtantiſſimo conatu elucidatam tradidit. Auguſtinus (f) attamen Epicurum, delirum Philoſophum, vanitatis amatorem appellat. Obiit poſt mundum conditum 3735. vixit annos 72.

Q. XXII. *Quis Peripateticæ?*

℞. Ariſtoteles Stagyræ in Macedonia in lucē editus circa annū mundi 3621. Platonis 20. annos diſcipulus, Alexandri Magni quinquenniô Inſtitutor, * prodigium, grandeq; miraculum ingenii in tota natura (g) ab Hieronymo dictus: *qui longè omnibus ingeniô, & diligentiâ præſtans in rebus vel inveniendis, vel judicandis acerrimus, admirabili quadam ſcientia, ut Cicero, & copiâ, cæterorum ſtudia reſtrinxit.* Peripateticam ** ſcholam Athenîs aperuit, quam Theophra-

(f) *In Pſ. 33.* (g) *In reg: mon. c.11.*

* Philippus Ariſtotelem Alexandro Filio accivit, à quo eodem ille & agendi acciperet præcepta, & loquendi. *Cic: 3. Orat.*

** Peripatetica appellata, quòd diſcipuli Ariſtotelis in ſpatiorum umbraculîs arboribûs opacorum (quæ à Cicerone curricula multiplicium, variorumq; ſermonum appellantur) plerumque inambulantes de Philoſophia diſputabant.

ſto regendam reliquit. Inter diſcipulos Ariſtotelis inventus Xenocrates, hebes & tardus ingeniô, virtute graviſſimus Philoſophus, quā exaggeravit adeo, ut cætera extenuaret, & abjiceret, & in virtute non beatam modò vitam, ſed etiam beatiſſimam ſtatueret.

Q. XXIII. *Quæ Recentioris Philoſophiæ Sectæ?*

℞. Recentioribus alias à Peripatetica ſchola vias inire placuit. Quare geminas conflârunt Sectas, Democrito, Epicuro, Anaxagoræ, veterum Philoſophorum non abſimiles; 1mam Gaſſendiſtarum, alterā Carteſianorum. Gaſſendiſtarum à Petro Gaſſendo Presbytero, Eccleſiæ Dinienſis Præpoſito, in Academia Pariſiis Matheſeos Profeſſore, qui excitavit veteres Atomiſtarū duce Epicuro cum Peripateticis conflictationes, obiitq́ Pariſiis Annô Domini 1655. Carteſianorum à Renato des Cartes Nobili Equite, qui ſtudiis navabat operā Flexiæ, apud PP. Soc: JESU obiit Holmiæ 11. Februarii 1650.

Q. XXIV. *Quænam in Philoſophia cauſa tam multiplicium Sectarum?*

℞. Cum Gvevara (*h*) profectò, & veriſimilè Homerus, & non malè Plato dixit: Si enim inter primos illos & antiquos Philoſo-

(h) *In her: Princ: 69. pag.*

loſophos non regnâſſet ignorantia, non tot extitiſſent in illorũ ſcholis Sectæ: qui legit non dico libros, qui interciderunt, ſed opiniones vetuſtiſſimorum Philoſophorum, non poterit inficias ire, cùm unica ſit ſcientia, tamen ipſos in diverſas eam Sectas diſtraxiſſe, quales ſunt Cinicorum, Stoicorum, Peripateticorum, Academicorum, Platonicorum, Epicureorum, qui omnes æquè opinionibûs à ſe mutuò diſcrepant, atque ingeniô, & naturâ fuerant diverſi.

§ 3tius.

De Scholaſtica Ariſtotelis Philoſophia.

Q. I. *Quæ Philoſophia in Eccleſiâ Catholica poſt adventum CHRISTI floruit?*

℟. Platonica ad octavum uſque ſæculũ, quam ſecuti ſunt Juſtinus Martyr, Clemẽs Alexandrinus, Origenes, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, aliiq; præcipui literarũ inſtauratores.

Q. II. *Cur Platonica Philoſophia in Eccleſia abolita?*

℟. Patrum & Eccleſiæ authoritate tanquam Hæreſum procreatrix, errorũ mater habita: ex medulla enim Platonicæ Philoſophiæ venenum ſuxit Origenes. aliiq; plurimi.

Q. III.

Q. III. *Poſt Platonicam quæ ſuceſſit?*

℞. Circa finem octavi ſæculi, & initiū noni Ariſtotelica Philoſophia authoritate Concilii Lateranenſis inclaruit, quæ ſuffocatâ Platonis Philoſophiâ Ariſtotelicam univerſæ Eccleſiæ commendavit. *

Q. IV. *Qui progreſſus Ariſtotelicæ Philoſophiæ?*

℞. Initiô noni ſæculi Arabes ſagaciſſimi, inter illos præcipui Avicenna, & Averròés Machometana peſte infecti, Philoſophiam Ariſtotelis ignorantiâ ſapientum inſepultam, magnô inter eruditos plauſu excitârunt, & in ſcholis ſuis arabicè redditam, quadringentîs annîs prælegêre. Commendatione ſapientum propagari cœpit in Africa, ex Africa in Europam, ex Hiſpania in Galliam, probante univerſo, còéuntibûs in unam voluntatem ſapientum conſiliîs transmigravit; in Academia Pariſienſi propagata, & à methodo, ſcholarum exercitationibûs commendata, dicta Scholaſtica.

Q. V. *Scholaſtica methodus quem ſortita in ſcientiis Authorem?*

℞. Theologiam Scholaſticam in ordinē redegit, & argumentîs confirmavit teſte Cardinali Bellarmino de Scrip: Eccl: S. Da-

* Videatur P. Gengell. Defenſio Peripateticæ Philoſophiæ contra Lutherum.

maſcenus l. 4. de fide orthodoxa. Eum ſecutus Petrus Lombardus Doctor & Epiſcopus Pariſienſis, qui ad quæſtiones Theologicas competentes Sanctorum Patrum ſententias collegit, circa annum CHRISTI 1200, quâ ſapientiæ & eruditæ comprehenſionis laude Magiſter Sententiarum appellatus. S. Thomas ſcripſit ſuper Magiſtrum Sententiarum Annô 1254. Idem Divus Thomas confecit ſuper Ariſtotelis libros eruditione, ingeniô, claritate, præſtantiſſimos commentarios, & ad ſcholaſticam normam ſparſim retulit.

Q. VI. *In quas celebriores ſcholas Ariſtotelis exdiviſa Philoſophia?*

℞. In quatuor. *1mam* Thomiſtarum Principe Divo Thoma Angelico Doctore, à quo Thomiſtica Schola, integro Orbis tractu florentiſſimarum Academiarum incrementîs propagata; Angelicam eruditionem accepit, Philoſophia verò Ariſtotelis, clypeum & munimen, qui illam Arabum erroribûs depravatam vindicavit, clariſſimîs elucidavit commentariîs, labemq; erroris, quâ vitiata exiſtimabatur, emendatiori calamo deterſit.

2dam. Scotiſtarum Duce, V. Joanne Duns origine Scoto, qui Seraphicæ Religionis pietate & eruditione clariſſimæ, lumen eximium, Doctor ſubtilis, imò ex ipſa ſubtilitate

litate ingenii conſtans voce ſapientum appellatus, vindiciîs intaminati honoris Matris SSmæ celeberrimus Doctor Marianus. Obiit 1308.

3tiam. Nominalium, qui in nominum vocumq; intelligenda ſignificatione integram contendebant recondi ſcientiam, quorum Doctor Gvilhelmus Occham, qui revocavit Rucelinum natione Britonem, Præceptorem Petri Abelardi, primum ſectæ Nominalium inſtitutorem contra Reales ſub Annô 1140. ex quo gravis & cruenta inter ſtudioſos Pariſienſes prælia ſunt excitata. Hujus ſectæ errores Rabbinorum olim fuiſſe; & multis jam ſæculis intermortuos. (*i*)

4tam Liberam, quæ in nullius jurat ſententiam, nulli Magiſtro obſtricta paret, ſed puriſſimam Ariſtotelis doctrinam conſectatur, rationem in ea ſolidioribûs causîs innixam, ingenio ſolido, modeſto accomodatam, perveſtigando, veritatis ſemper amica, publicæ utilitatis propagatrix, in Univerſitatibus Academiis Scholiſq; Soc: JESU, per univerſum Chriſtianum orbem floꝛentiſſimis, lege & inſtituto Religionis imperium capeſsens, ſequitur. Nihilominus ſchola libera Soc: JESU S. Thomam, non tamen Thomiſtas (ut advertit

B 2 Ponti-

(*i*) *Ut Cauſinus l. 4. de invent: & locis.*

Pontius eximius auhor inter Scotiſtas apud P. *Szentivani* (*k*)) liberaliter amplectitur, Scoti quoque ſententias; quin & in aliquibus neutri adhærendo, ſequitur eam doctrinam, quæ ipſi veritati eſt conformior.

Q. VII. *Quid referendum de elucidationibus Ariſtotelicæ Philoſophiæ?*

℞. In ſumma complector. Duodecē millibûs commentariorum eruditiſſimi Sorbonæ Doctores comprehenſam Ariſtotelis Philoſophiam orbi commendârunt, ut Orator Gallicus, (*l*) *

Q. VIII. *Quô intelligendi conſiliô accipiendum, quòd Gregorius IX. vehementiſſimè libris Naturalium Ariſtotelis diſſentiens, edictô publicô* (m) *ad Pariſienſem Academiam aditum illi præcluſerit?*

℞. Id verum cenſendum, quoniam Avicennæ & Averrois erroribûs ſcatentē advertit, nec infeliciùs Chriſtiana reſpublica oppugnatam ſe ſenſit, niſi armîs Ariſtotelicæ Philoſophiæ, Arabum malignioribûs ingeniîs corruptæ. Poſtquam tamen D. Thomas gloria Peripati in ſectando Ariſto-

tele

(k) *In libro, cui titulus*: curioſa & ſelectiora miſcellanea. *Diſ.* 8. §. 40.

(l) Stephanus Champs S. J. *Orat: de S. Aug:*

* Qui alios ſempiternæ gloriæ commendāt ingenii gloriam conſeqvuntur. *Cic. ep.* 12.

(m) *Conſt: ad Univerſi: Pariſi annô* 1231.

tele egregiîs commentariîs viam aperuerit, vitiîs eandem purgaverit; decretô Doctiſſimorum Cardinalium Apoſtolicæ Sedis Legatorum Joannis & Ægidii, & annîs recurrentibûs Totavillei (*n*) Lutetias invitata, eam meruit in Galliis authoritatem & principatum, ut nefas poſthac ſibi ducerent Sapientiſſimi Sorbonæ Doctores ab illa deficere, niſi vel arbitra Eccleſia contrarium ſtatuerit, (ut Orator Gallicus, pro Auguſtino teſtatur,) vel conſenſus Doctorũ imperaret. O ſapientiora ſæcula, quæ reprobare verentur, quod probavêre ſapientum conſilia, & ætas erudita. Divino nomine regi Ariſtotelis Philoſophiam quis nõ advertat? Cum jam ad occidua & extrema vergere videbatur, Providentiâ ſupremâ Chriſtianis Regnis aſſiſtente, periculô ſuô ſublevata *ſtetit ſua viciſſitudine illuſtrior.* *

Q. IX. *Verumne, quòd ſcholaſtica Ariſtotelis Philoſophia pleraque otioſa & minùs utilia pertractet?*

℞. Erud itiſſimi Ulloa Romani Thelologi abundantiſſimô judiciô, in præfatione (*o*) ad ſtudioſam Juventutem hæc & ſi-

B3 milia

(n) Decretum Card. 1361. & A. 1412. apud *Stephanum Champs* Orat: de S. Aug:

* Maximis erroribûs res humanæ intricantur, ut ea, quæ in expectatione ſunt inexſpectato exitu terminentur, & deſperatæ res feliciùs ſubleventur. *Greg.*

(o) *Lib: Dialecticæ.*

milia contra ſpeculativas ſcientias objecta prolixiùs refellentis. Expertis credite, ait, & ſcitote ſcomata, ſatyras, & invectivas unas ex invidia dimanare, alteras ex ignorantia vel ſuperbia. Si vidiſtis unquam alambicum, cujus beneficiô ſpiritus, ſal, ſuccus herbarum diſcernitur à parte terrea, vidiſtis in praxi facultatem totam ſpeculativam, cujus calore crudus & indigeſtus cibus humanorum diſcurſuum concoquitur, cujus energia, anima, & nucleus illorum à cortice diſjungitur, & corpore: cujus regulis & exercitio quaſi nanciſcemini butyrum illud & mel, quô pro humano modo ſcietis reprobare falſum, & eligere verum. Nihil otioſum ſupervacaneum in Philoſophia ſpeculativa. Quamvis utilitas nulla alia declarari poſſet, ſufficeret quòd præparant, perpoliunt ſcholaſticæ diſciplinæ rudes & impexas mentes humanas, non ut cum venuſtate auribus lenocinentur, ſed ut cum veritate intellectûs non tam ſpecioſitatis quàm, veritatis avido obſecundent. Illa autem magnas res ratiocinandi in quacunque materia ſivè Chriſtiana, ſive politica, ſive militari, ſive naturali, ſive ſupernaturali, ſive cœleſti, ſive ſupercœleſti, ratiocinandi, inquam, ſolidè atque verè, quomodo obtineri poteſt, quin intellectus ſolertiſſimè dividat, uſque ad ultimas differen-

feren-

ferentias, ſubtiliſſimè penetret uſque ad intimam quidditatem, atque eſſentiam rerũ, nec non acutiſſimè inferat ex eis omnibus, quæ introſpexit, veritatem, quam amplecti debet; falſitatem, à qua debet fugere. En quod faciunt ſcholaſticæ diſciplinæ. Inſtruere humanas mentes, ut in quacunquè occurrente materia ſubitò involent in quidditatem rerum, ſapienter dividant, quæ permixta ſunt; acutè ratiocinentur; quo fit, ut intellectus ſcholaſticæ diſciplinæ aſſvetus, tandem in Philoſophia & Theologia pro humano modo aſſequatur pretioſiſſimam gemmam veritatis, quæ una eſt ſcopus, atque finis noſtri intellectûs.

Q. X. *An Scholaſtica Philoſophia ſubtilitates ſectetur?*

℞. Subtilitas optimi & acuti ingenii indicium nocebit, cùm Magiſtros artium commendet? Quô pactô (loquor verbis eruditiſſimi Viri Ulloa) egregius evadet medicus, niſi muſculos, nervos, fendones membranas, cartilagines, articulos, oſſa, arterias, venas & reliquam totam corporis ſupellectilem ſolertiſſimè percalluerit. quò ad naturam, quò ad quantitatem, quò ad qualitatem, & quò ad cætera omnia, quæ plebs rudis putat minutias, ſapientes autem Medici, ratione atque experientiâ inſtructi meritò credunt ad ſummam rei ſpe-

ctare. Quô pactô ſupremus rei maritimæ Præfectus claſſem gubernabit, ſi innumerarum rerum catervam ad claſſem ſpectantium non bene notam habuerit? Quô pactô Dux & Imperator militiæ reget exercitum, ſi exilia etiam gregariorum militũ officia, armorum nomina, & rationẽ, bellorum genera, & viciſſitudines, pugnandi artes & ſtratagemata, exploratorum & excubiarum calliſſimos aſtus, pabulationis & prædæ cauſâ diſperſas excurſiones, ſcientiam ſuam & ſubtiliorem induſtriam effugere committet? Qui à teneris maximè, ſubtilioribus non exagitantur quæſtionibꝰ, plerũq; adulta ætate tardi, obtuſi, & hebetes evadunt. Craſſa perſæpe ingenia & obviîs dedita, ſubtiliora dedignantur tentamina. Quis ſubtilius in pugione acumen contra inſidias hoſtium inſtructum damnavit? Subtilis eſt Scotus, pugnavit acriter contra Immaculatæ VIRGINIS, ſubtiles adverſarios. Quis explanavit motum atomorum & impulſum? quis texturas & combinationes, atomos ipſas minutas, contortas in ſphæram, & lanugine circumveſtitas ventilavit, diſcuſſit? Nonne hæc ſubtilioris Philoſophiæ ſubtiliſſima figmenta, vel potius inventa dicere verebuntur Recentiores?

Q. XI. *An Philoſophia ſpeculativa de voce ſæpius moveat quæſtionem?*

℞. Re-

℞. Repetamus memoriâ, quàm acre olim fuerit bellum inter Patres noſtros, Eccleſiæ Doctores, atque Arianos ſubdolos, ſuper *Homouſion*, & *Homeuſion*, quæ vocabula una literâ differunt. Inter Conciliū Chalcedonenſe & Eutychianos, ſuper *in*, & *ex*, quæ Grammaticorum magìs petunt ingenia, acrior exorta concertatio. Dioſcorus enim CHRISTUM Dominum in duabus naturis, non ex duabus eſſe contendebat, utrumque profitente Eccleſia, tam ex duabus, quàm in duabus naturis Chriſtum DEUM & Hominem. Inter Eccleſiam Latinam & Græcam ſuper *ex* & *per*, acer quoque conflictus, fatentibûs Græcîs, Spiritum Sanctum eſſe per Filium, ſed non ex Filio. Unius voculæ mutatio necē olim intulit corporibus, *qui reſpondebat Sibboleth: eâdem literâ ſpicam exprimere nō valens.* (*p*) Ex vocibus & nominibus, quæ lingvarum Inventores ſubſtituerunt pro rebus, tanquam ex ſigno devenitur in rem ſignificatam. Ut quid tot Commentatorū volumina ſuper Sacræ Scripturæ voces, ſuper Ciceronis verba, phraſes, ſuper Juriſperitorum in una vocula diſceptationes? Arguat Cenſorius Cato Ariſtotelem de nomine & verbo diſſerentem: Dyoniſium Areopagitam de Divinis nominibus grandiori

(p) *Judicum* 12.

diori volumine loquacem: Concilium Nicenum contra Arianos nomen *Homouſios*; Concilium Epheſinum nomen *Theotocos* contra Neſtorianos, nomen *Tranſubſtantiatio*, Concilium Tridentinum contra noſtri ævi Hæreticos adinveniens. De ſola voce quæſtionem & ſtrepitum movere garruloſa contentio; de voce & animi ſententia in textibus ſapientum, profunda eruditio.

Q. XII. *Quid cenſendum de ſpeculativa Philoſophia, an plerîſque otiosîs ſpeculationibûs tempus terat?* v.g. *cum agit de præciſionibus, diſtinctionibus, univerſalibus, relationibus, requiſitis, conſtitutivis?*

℞. Cenſendum id, quod elucidationes theſibus rationalis ſcientiæ adjunctæ declarant; quibûs doceri deprehendimus, quod à Sanctis Patribus ſummè commendatum, tot eruditorum calamîs pervulgatum non facilè otioſum prædicari.

Q. XIII. *An pleriſque ſuperfluîs ſpeculationibûs abundet?*

℞. Vitiô, aut exuberantiâ ingeniorum hæc ſuperfluitas enaſcitur. Plerumque nil eſt adeo in rebus caducis limitatum, ut vel de eſſe aliquid non patiatur, vel plus eſſe, quàm natura vendicet. Frondes & folia in arboribus, capilli in barba, flores & fructus in pomario, nummi in ærario ſu-

perflui

perflui ſunt, & extra neceſſitatis fines ſæpe egrediuntur, idcirco reſcindendi? citò orbabitur neceſſariîs, qui ſuperflua omnia reſecare voluerit. Perbreves Philoſophorum togæ, quæ defluere ad talos nequeunt, paupertatis concedantur inſtituto, Philoſophis antiquis in pretio habitæ; at circumciſæ in Philoſophicis quæſtiones, & pleræq; obtruncatæ, mancæ, imperfectæ aut omiſſæ, tantùm abeſt ut defectûs, & inopiæ in ſcientia arguantur. Nequaquã tamen, ut eruditus Ulloa, omnino ſuperfluas dicamus ſpeculationes illas paucas, quas ſugillant aliqui, ut aridas & infæcundas. Sunt enim neceſſariæ ad faciendum quaſi anatomen veritatis, ad poſſidendam rem totam, ut ex nullo angulo erumpat clandeſtinus hoſtis veritatis. Nuſquam ſapientes Duces prætermiſerunt cautiones illas in bello, quas tyrones putare ſolent ſuperfluas, atque ad ſolius militaris patientiæ exercitium neceſſarias.

Q. XIV. *Plurimæ ſententiæ in Philoſophia Ariſtotelica nullum habent uſum?*

℞. Quod in aliis artibus obſervari videmus, hoc Philoſophiæ non incongruè aptamus. In arte pictoria colores nonnulli obteguntur pigmentorum umbraculîs, & rudia illa, ſubtiliuſq; ſcabroſæ telæ inſperſa lineamenta non apparent, ut, & inſtrumenta

menta plurima, quæ artificum peritiſſimorum manum, & operam exercent, videntur aut ſupervacaneæ, aut ſuperfluentis induſtriæ prætextus, tamen, non corticem, ſed medullam rei introſpicientibus hæc, & illa abſolutiſſimam & artificis, & ſimulacri commendant perfectionem. Qui pilâ ludunt, non utuntur in ipſa luſione artificiô proprio palæſtræ: ſed indicat ipſe motus, didicerintné palæſtram, an neſciant: & qui aliquid fingunt, & ſi tunc pictura nō utuntur, tamen utrum ſciant pingere an neſciant, non obſcurum eſt. Sic in philoſophicis diſſertationibus etiamſi plurimæ non ſint noſtro inſtituto propriæ, aut non adhibeantur, tamen declarant ſapienti, utrum ille ad omnia acceſſerit, qui diſputat, ac tacito tentamine exploratur in minuta quæſtione illius eruditio ab omnium Philoſophiæ quæſtionum prognata comprehenſione.

Q. XV. *An ſinè maximè Logicalium quæſtionum tractatione perfecta foret Philoſophia?*

℞. Magnus Tullius (q) perfectum effingendo Oratorem omnes ingenuas artes ei eſſe neceſſarias ingenuè fatetur: ſic ſentio neminem in Oratorum numero habendum, qui non ſit omnibus iis artibus, quæ ſunt

(q) *Lib. 1. de Oratore.*

ſunt liberô dignæ, perpolitus, quibus ipſis ſi in dicendo non utimur tamen apparet, ac exſtat utrum ſimus earum rudes, ac didicerimus. Vereor ego à Philoſophorum conſortio excludere eos, qui aliquâ parte mutilatam Philoſophiam cum aucupatione gloriæ profitentur.

Q. XVI. *Quod elogium eſt Ariſtotelis?*

℞. In Ariſtotelem illud Elogium unicũ univerſæ conſentiunt gentes, per antomaſiam Philoſophum, hoc eſt Philoſophorum primarium fuiſſe. Jure ergo illum amplectimur, cujus de laude omnium ſit fama conſentiens. (r) Cũ Clemente Alexandrino concludamus: Si quis Iſomacho ſtuduerit, agricola fi.t, ſi Lampridi Nauclerus, ſi Charidemo Imperator, ſi Simoni eques, ſi Crobylo coquus, ſi Perdici caupo, ſi Archelao ſaltator, ſi Homero Pòéta, ſi Pyrrhoni vitilitigator, ſi Demoſtheni Orator, ſi Chryſyppo Dialecticus, ſi Ariſtoteli Phyſicus, & Philoſophus.

Q. XVII. *Quis potior in Philoſophica ſententia, Ariſtoteles, an Plato?*

℞. Aliud videtur Auguſtino, quo nemo doctior, aliud Divo Thomæ Angelico, Doctori, quô nemo ſua ætate commendatior.

(r) *Melchior Canus Epiſc: Canar: Lib: 10. de author. Philoſ: cap: 5.*

tior. Divo Auguſtino ſummus eſt Plato; Divo Thomæ ſummus eſt Ariſtoteles.

Q. XVIII. *Cur Ariſtotelis Philoſophia non creſcat?*

℞. Quia ad ſummum pervenit, res enim, quæ perfectioribus gradibus eluctatæ ſunt ad ſuprema, creſcere & propagari deſinunt.

QUÆSTIONES OPPOSITÆ.

§ imus.

De Philoſophia Carteſiana.

Q. I. *Quæ conſenſio ſapientum de Carteſii ſcientia?*

℞. Renatus des Cartes natus Hagæ Turonum, Annô 1596. Religione ut ſe ipſe ubique profitetur Catholicus, à vita militari nullis artibus, niſi Mathematicis eruditus ad literas altiores acceſſit, ingenio majori præditus, quàm judiciô, in Dialectica parùm, in Theologia minus verſatus, novitatis ſtudioſior, quàm veritatis. Pluſrimi ſe ipſe faciebat, magnam præſeferebat modeſtiæ ſpeciem, ac tum præcipuè erumpebant innatæ ſuperbiæ igniculi, ſi quando nobiles aliquos nactus erat adverſarios. Non ſatis item conſtanter ſua vel præferebat, vel probabat. Hæc de Carteſio ſentiunt viri limatiſſimi judicii, inter alios Petrus Huetius Epiſcopus Sveſſionſis, in ſua

in ſua cenſura Philoſophiæ Carteſianæ; Pater Thomas Comptonus in ſua Phyſica Diſput: 12. Pater Joannes de Benedictis in ſua Philoſophia. (ſ)

Q. II. *Quid alii ſentiant?*

Joannes Baptiſta Ptolomeus in Romano Collegio Profeſſor, poſt Eminentiſſimus, de Carteſio poſteritati reliquit. (t) Des Cartes neque Ariſtoteli, neque Epicuro, neque ulli veterum ex toto addictus, Poëticam quandam philoſophandi rationem iniuit, & ſiſtema in exſpectatum & improviſū invexit, quo mundi exordia, & corporis naturalis principia clarè, & diſtinctè explicari contendit, ſed utcunque nova videatur proferre, pleraque tamen ex antiquis, ac potiſſimùm Epicuro decerpſiſſe, reliqua verò, quæ de ſuo ſuperſtruxit veteribus, parum ſibi conſtare & ambigere in ruinam contendunt Gaſſendi, & Huetius, & alii eruditiſſimi Viri.

Q. III. *Quid ſentiendum plenius de ejus Philoſophia?*

℞. Georgius Gengell Polonus Soc: JESU, (u) inter gradus ad Atheiſmum * qui ſunt.

(ſ) *P. Gengell Tractatu III. de gradibus ad Atheiſmum.*

(t) *Diſſ: 6, Phyſ: gen. de Syſt. Cart.* (u) Lib: cui titulus: *Gradus ad Atheiſmum;* impreſſo Brûſbergæ *A.1717.* * Atheiſmus, eſt irrationabiliſſimum & malorum omnium peſſimum, perditionis baratrum: *D. Damaſc. l. 1. de fid. c. 8.*

unt, *1mò*. Peccata graviora frequenter & quaſi ex aſſvetudine perpetrata. *2dò*. Effrenata libido. *3tiò*. Superbia, & tumor mētis, præſertim in iis, qui ſcientiæ nimiùm tribuunt, privatiq; ſui judicii tenacitatem graviſſimo doctiſſimorum Virorum ſenſui leviſſima de cauſa obſtinatè præponunt, nihilq; eſſe arbitrantur quod intellectu ſuo perfectè comprehendere nequeant. *4tò*. Machiaveliſmus. *5tò*. Perverſa dogmata contraria Evangelicæ veritati. *6tò*. Ementita prodigia, hiſtoriæ pateticæ Concionibus & libris inſertæ, *7mò*. Hæreſis. *8vò*. Calvini & Lutheri doctrina, omneſq; aliæ Sectæ Religioni Orthodoxæ infeſtæ. *9nò*. Sententiæ non nullæ in Philoſophicis temerariæ *v.g.* poteſt creatura ſe ipſam prima vice producere: Quodlibet eſt vel nō eſt. Item impoſſibile eſt idem eſſe; & nō eſſe ſimul, ſunt principia falſa. &c. *10mò*. Recenſet Carteſii doctrinam ejuſq; aſſeclarum.

Q. IV. *Quô fundamentô aſſertum declaratur?*

℞. Faci-

---

* Machiaveliſmus, eſt aggregatum multorum ſcelerum; continetur enim in illo falſa ſimulatio pietatis, poſtpoſitio rerum Divinarum, Religionis pro varietate mutatio, jurisjurandi violatio, innocentum oppreſſio, aliorumq; quorumcunque ſcelerum; ſi & quando hæc cōducibilia videntur, ad conſervandum, vel promovendum ſtatum politicum.

℞. Facilem in Atheiſmum prolapſum in Philoſophia Carteſianorum adverterunt Viri eruditi. Præcipuos eſſe cardines fidei noſtræ: exiſtentiam Dei, immortalitatem animæ, myſterium Euchariſtiæ, infallibilitatem Eccleſiæ Catholicæ, tandem rationem rectam negabit ille? qui Atheiſtica voragine abſorptus circa fidem (ut Paulus ait) naufragavit. Hos cardines Philoſophia Carteſianorum aut evellit, aut in dubium vocat.

§ 2dus.

Exiſtentia DEI per Carteſianam Philoſophiam convellitur.

Q. I. *Qua ratione dictum evincitur?*

℞. Ex ungviculis ſenſûs Carteſii & Carteſianorum perſpicitur, quàm langvidè contra Atheos inſtructa ſit Philoſophia, quam ſequentes inermem portendunt propoſitiones.

1ma. Apud Carteſium, *principium lumine naturæ notum & inconcuſſæ veritatis initium; ego cogito, ergo ego ſum, ergo ego exiſto.*

2da. *Illum*, ait Carteſius, id eſt, *DEUM opinabimur non eſſe fontem veritatis, ſed genium aliquem malignum, eumq; ſummè po-*

 tentem,

tentem, & callidum; omnem ſuam induſtriam in eo poſuiſſe, ut nos falleret. Med: 1.

3tia; *quã expreſſiùs* in 3. Medit: *docet non tantùm dubitare de omnibus, ſed & negare omnia Deumq; ipſum, præterquam quòd quis cogitet adeoque exiſtat.*

4ta. *Mundus exiſtere non poteſt niſi unicus.*

5ta. *Illud omne, quod à notis clarè & diſtinctè percipitur verum eſt, nihilq; admittendum tanquam verum, quod à nobis clarè & diſtinctè non percipiatur.*

6ta. *Exiſtentia DEI ex claris ideis demonſtratur.*

Q. II. *Quomodo propoſitio 1ma exiſtentiam Dei convellere videatur?*

℞. Juxta Carteſium; Epicuri & Heraclii errorem reſorbentem (v) falſum eſſe hoc principium: *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe;* oppoſitum illi verum, ſcilicet: *poſſe idem ſimul eſſe & non eſſe:* igitur per rectam inferendi unum ex alio collectionem, ex hac veritate: ego cogito, poteſt ſequi: ergo ego exiſto, vel hoc: ergo ego non exiſto. Pari ratione ex hac propoſitione: DEUS cogitat, poteſt inferri: igitur DEUS exiſtit,

(v) Epicurus teſte Tullio lib. 1. de nat: Deorum, & Heraclius negârunt illa principia eſſe vera: impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe; quodlibet eſt vel non eſt.

exiſtit, vel hoc: igitur non exiſtit: ego cogito DEUM exiſtere, ergo DEUS poteſt exiſtere, vel non exiſtere.

Q. III. *Quomodo ſecunda propoſitio convellat?*

℞. Ad inveſtigandam veritatem Carteſius docet de omnibus dubitare, imò & DEUM ipſum non eſſe fontem veritatis. Edicite an non blaſphema * in DEUM Carteſiana veritatis in Philoſophia inquirendæ conſecutio. DEUM ſumma bonitate amabilem, genium aliquem malignum, reclamante Auguſtino. (*x*) DEUM veritatis Authorem, & ad fallendum minimè habilem, fallacem architectari? (*y*)

Q. IV. *Quomodo tertia?*

℞. Quid clariùs, quàm Atheiſmum in mentem induci, & de exiſtentia DEI, quam impius in corde ſuo negavit, (*z*) dubitationem opinione judicii formatam accumulare? Quale eſt ædificium, quod de ruina conſtruitur? Quid faciendum putet

* Blaſphemia eſt, cùm aliquis attribuit DEO, quod Dei non eſt. *Aug.*

(x) *Lib: 4. de Civit: c.17:* Dei conſilium occultum eſſe poteſt, iniquum eſſe non poteſt.

(y) Armenorum erat hæreſis teſte Gvidone, quæ docuit DEUM non eſſe eſſentialiter veracem.

(z) Dixit inſipiens in corde ſuo: non eſt DEUS. *Pſ. 13.*

tet Carteſius? ut rivulos excipiat, fontem puriſſimum obſtruit, ut lumine potiatur, ignem extingvit, diei claritatem oculîs ut prælibet, ſolem è Cœlo deturbat. Negare omnia, adeoque DEUM, cujus intelligentia hominibus impartita eſt, in quo vivimus, movemur, & ſumus, in quo cogitamus, & exiſtimus, quid eſt? niſi fontem veri obſtruere, lumen rationis extingvere, & non exiſtente Authore naturæ, naturam tamen cogitare, & exiſtere. *

Q. V. *Diſputationis cauſâ poteſtné negari exiſtentia DEI?*

℞. De mente Carteſii non conſtat, qui abſolutè ad inveſtigandam veritatem æquè DEUM, ac omnia negare edocuit. Scholaſticas de exiſtentia Dei diſputationes nemo dubitationes ** Carteſianas appellet, cùm nulla tam fera gens ſit, quæ DEUM habendum ignoret.

Q. VI. *Quomodo quarta?*

℞. Quàm de Omnipotentia Dei infirmè ſe ſentire exhibet Carteſiana Philoſophia. *Sola*

* Una Dei eſt & ſola natura, quæ vera eſt, cætera, quæ creata ſunt, etiamſi videantur eſſe, non ſunt, intellige, per reſpectum ad exiſtentiam Dei. *S. Hieron: epiſt. ad Damaſum.*

** Primus Pytagoras DEUM in dubium vocavit. Nulli barbarorum in dubium vocant, ſintné Dii, an non, & curentné res humanas an non. *Ælianus.*

Sola in miraculis ratio, ait Gregorius (a) *potentia facientis*, ſola in mundi alterius productione, virtus Omnipotentis Dei. Ut multa aſſerit Carteſius, nec probat, ità & hunc errorem Omnipotentiæ Dei inimicum.

Q. VII. *Quid inferretur adversùs exiſtentiam Dei, ſi mundus non poſſet eſſe, niſi unicus?*

℞. Inferretur Mundum hunc eſſe Numen quoddam unitate perfectiſſimum.

Q. VIII. *Qua ratione declararetur?*

℞. De ratione ſolius Dei eſt, tam eſſe in ſingularitate naturæ unum, ut non poſſit eſſe niſi unicus. Mundo hanc unicitatem ſolitariam adjudicat Carteſius? videat inviolata argumentandi conſecutione, quid inferendum relinquat? Plures Deos vulgi & imperitorum colebat opinio, pleræque tamen Philoſophorum ſectæ unum ſtatuerunt, quem alii Jovem, alii Martem, Mercurium, Mentem alii volebant, in unitatem Dei ſapientiores ſectæ conſpirârunt * adeo immultiplicabilem, ut Dei perfectionem ſummam conſenſerint. Carteſiana Philoſophia hanc perfectionem ſic mundo adſcribit, ut communicari illam alteri mundo diſſentiat.

(a) *Hom. 25.* * Pagani non ſe plures Deos ſequi, ſed ſub DEO magno plures miniſtros venerari fatentur. *Aug: lib. de Civ.*

Q. IX. *Quomodo quinta?*

℞. Si illud unicè eſſet verum, quod à nobis clarè & diſtinctè percipitur, exiſtentiam Dei, lumen fidei, Prophetiæ, lumen gloriæ, à ratione veri excludere neceſſe: cùm hæc clarè & diſtinctè non percipiantur.

Q. X. *An Dei exiſtentia clarè, & diſtinctè percipiatur?*

℞. DEUM, ut ex altioribus fidei principiis nobis enituit, non compertum hominibus manifeſtè exiſtentē contemplari.

Q. XI. *An fides juxta Carteſium de exiſtentia Dei, de myſteriis Religionis, ſit infallibilis?*

℞. Fides, iuxta Baſilium (b) *ſupra omnem rationem ſcientiarum, diſciplinarumq; animam ſublimem trahit;* ut infallibilis ſit, claræ, & diſtinctæ perceptioni rationis humanæ accommodari deberet?

Q. XII. *Quæ ſequuntur abſurda ex prædicto criterio veritatis?*

℞. Plurima: *1mò.* Fidem non eſſe argumentum non apparentium (c) *2dò.* De pœnarum æternarum, & Beatorum in cælis mercede, dubitari poſſe, cùm non percipiantur ſenſuum claritate, nec ipſe Carteſius

---

(*b*) *In expoſis: Pſ. 115.* (*c*) Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum argumentum non apparentium. *S. Paul: ad Hebr.*

teſius in vivis percepit, admiſiſſe tamen ut Catholicum ea lege non eſſet verum, quòd clarè, & diſtinctè ejus hac in re ſententiam non perciperemus. *3tiò.* Trahitur Carteſiana Philoſophia ad errorem Abailardi hæretici docentis: nil eſſe credendum quod excederet vires noſtri intellectûs. * *4tò.* In ſubſtantias rerum creatarum, ut ſuâ circũſcribuntur eſſentiâ, nemo involavit clarè, ſed veluti ex primo veſtibulo interiorem ædium ſtructuram, ex ſignis accidentium, vel modificationum illas circumſpexit, igitur ſubſtantias negare non erit à veritate alienum? ** *5tò.* minutas particulas elementorum ſuorum in dubitationis diſcrimen conjecit Carteſius, quoniam illas in ſua medulla clarè non eſt intuitus.

Q. XIII. *Quomodo ſexta?*

℞. Inconſulto lapſu ruit in Atheiſmũ Carteſiana Philoſophia, clarîs ideîs obſcurata.

Q. XIV. *Quæ ratio aſſertum probabit?*

℞. Probat Carteſius ex ideis innatis &

 nobis

---

* Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. *S. Greg.*

** Parentes Filios ſuos prudentiſſimè diligunt, & parentibus ipſi prudentiſſimè obediunt, cum tamen neutri evidenter, & clarè ſciant aut filios eſſe ſuos, aut parentes eſſe ſuos. *S. Aug. l. de util. cred: c. 12.*

nobis congenitis, quas concepimus de omnibus rebus, adeoq; de exiſtentia Dei veritatem ejus exiſtentiæ, ſed quàm improvidè? quàm periculosè? quàm perplexè?

Q. XV. *Quod periculum ex prædicto criterio?*

℟. Carteſius ſibi eſt oppoſitus: ideas claras convellit, cùm mentem humanam *de omnibus rebus dubitare poſſe ac debere, præterquam quod cogitet & exiſtat pronuntiet*, & ideas claras omnium rerum inditas à DEO perſvadeat? Hinc liquet: illud quod eſt clarum, evidens, & apertæ veritati conſonum, in dubium revocari poſſe.

Q. XVI. *Nondum clarè conſtat periculum de exiſtentia Dei?*

℟. Atheus Carteſianâ Philoſophiâ imbutus, alias demonſtrationes Dei, in ſcholis à Theologis & SS. Patribus adduci ſolitas rejiciens, qua ratione ideas claras exiſtentiæ Dei ſibi ingenitas, & concreatas admittet? negabit impius DEUM; Carteſiana Philoſophia exiſtentiam Dei, ex ideis claris à DEO ipſi Atheo inſertis declarabit? quas ille pervicaciùs cum DEO, è numero rerum excluſit. Quomodo petitione principii, & circulô vitioſô vertiginoſa Philoſophia non confundetur? Quomodo Athei animum nunc hæſitante de omnibus opinione, nunc claris ideis de exiſtentia

Dei

Dei non intricabit? Ateumq; dubitationibus anteceptis ex Philoſophia ſua aſſvetum, de omnibus rebus, adeoq; de ipſa Dei exiſtentia, ut illam profiteatur, convincet?

Q. XVII *Sanè nullus Atheus ex Carteſiana Philoſophia prodiit?*

℟. Amariorem Philoſophiæ Carteſianæ fructum ſpectavit Eccleſia in Benedicto Spinoſa primùm Judæo, pòſt Chriſtiano, tãdem perdito Atheo, quem ex Carteſiana Philoſophia fundamenta ſceleris ſumpſiſſe ſcribit Author præfationis ejus ad poſthuma opera. *

§ 3tius.

Immortalitas animæ per Carteſianam Philoſophiam convellitur.

Q. I. *Qua ratione convellitur?*

℟. Sequentibûs propoſitionibûs:

1ma. *Apud Gaſſendum* (d) *quemadmodum Pöetæ fingunt ab Jove quidem fata fuiſſe condita, ſed poſtquam condita fuêre, ipſum ſe ipſis ſervandis obſtrinxiſſe, ità ego puto eſſentias rerum, Mathematicaſq; veritates, quæ de ipſis cognoſci poſſunt, eſſe independentes à DEO, ſed* puto

---

* Diſcimus Spinoſæ exemplo, quam fallax ſit Carteſianum veritatis criterium, *Volf: Theol: natur: paragr: 687.*

(d) *Tom. 3. in dubit. ad Cart. Metaph.*

puto nihilominus, quia DEUS ſic voluit, quia DEUS ſic diſpoſuit ipſas immutabiles.

2da. *Anima eſt actualis cogitatio.*

3tia. *Animam non poſſe naturali ratione convinci eſſe immortalem, niſi ex eo, quòd bruta omnia ſenſu careant, anima verò ſola eſt cognoſcitiva.*

Q. II. *Quomodo prima convellit immortalitatem animæ?*

℞. Animam noſtram immortalem ex natura ſua manifeſtum facere demandavit Philoſophis Concilium Lateranenſe ſub Leone X. Annô 1513.

Q. III. *Verumnè quod anima ſit immortalis ex natura juxta fidem, juxta Philoſophiam eſt mortalis?*

℞. Ità ſenſerunt, (ut Ptolomæus teſtatur) cum Averroiſtis Pompanatius, Cæſar Cremonius, in quos Concilium Lateranenſe ſeverè animadvertit, hancq; diſtinctiunculam de Sophiſtarum gurguſtiis acceptam, proſcripſit.

Q. IV. *An Carteſiana Philoſophia Concilio & rationibus Philoſophicis de immortalitate animæ eſt contraria?*

℞. Eſſe contrariam: cum enim Concilium animam rationalem ex natura ſua immortalem, immutabilem demonſtrandam injunxit Philoſophis, per Carteſium anima rationalis, non per naturam ſed per volun-

tatem

tatem Dei ſit immortalis. Et quemadmodum eſſentiæ rerum mutari poſſunt, ità eſſentia immortalitatis phyſicæ. Quamvis autem juxta fidem ſit immortalis, hoc non ſufficit, cùm & juxta Philoſophiam naturali ratione ut evincatur, obſtringat Concilium.

Q. V. *Quomodo ſecunda?*

℞. Quid intendat hæc inſipida explanatio niſi mutabilitatem animæ? Variæ cogitationes ſunt humanæ, ad variationem eſſentiæ variaretur anima? Cogitationes in ictu oculi avolant, anima etiam avolabit?

Q. VI. *Quomodo tertia?*

℞. Ludibrio exponit Epicureis Chriſtianam Philoſophiam, utpote imbellem, inopem, ad evincendam animæ immortalita tem minimè idoneam.

Q. VII. *Ediſſere intenti rationem?*

℞. Quodſi Epicurus & Averroiſta conſentiet, utpote conformiùs ad ſaniorem Philoſophiam animas ſenſitivas brutorū cohærere cum ſenſu & organis videndi, audiendi &c. quo ariete mortalitas animæ expugnabitur? Animas ſenſitivas brutorum excludere è creaturarum numero non ſolùm improbabile, ſed erroneum, ex perſuaſione omnium hominum, qui, ut ſe ſentire, dolere, gemitus, dum verberantur, pati; ità & bruta; imò & memoriam in illis cum

Augu-

Auguſtino (e) advertunt? Quis machinã ſenſu deſtitutam v. g. horologium cibô allicit, baculô fugat, voce & applauſu incitat? In errorem adductô fundamentô, qua ratione animæ immortalitas non ſubvertetur?

Q. VIII. *Ex alio capite oppugnatur animæ immortalitas?*

℞. Obſtinatè, ſed rationabiliter intrudet quiſpiam v.g. bos, canis, equus, oculô non videt, percuſſa cute non dolet, diductô ex viſceribus gemitu non angitur, igitur & homo doloris & ſenſus expers? ſolumq; anima rationali ad officium intellectionum præmunitur? Imò, cum ſagacitas canum, prudentia elephantum, aſtutia vulpium, pſittacorum, ſimiarum vis quædã ratiocinandi, * in machinas elaſticas, in ſangvinem ſubtiliſſimum, in ſpiritus animales,

(e) *Lib, de Muſica.* Puto te negare non poſſe beſtias habere memoriam, nam & nidos poſt annum reviſunt hirundines, & de capellis veriſſimê dictum eſt: atque ipſæ memores redeunt in tecta capellæ; & canis Dominum jam ſuis hominibus oblitum recognoviſſe prædicatur, & innumerabilia ſi velimus, advertere poſſemus quibus quod dico; manifeſtum eſt.

* *Cic: l. 2. de natura Deorum,* miratur ingenium avis Plataleæ. quæ aſtu, & vi cibum ex roſtris marinarum avium extorquet. Teſtudo viperæ venenô morſa medicinam providet origani paſtu; vulpes laricis lacrymâ vulnera curat:

les refunditur, quo ictu retundetur, ſi quiſpiam recentiori Philoſopho magìs recentior, ſagacitatem, prudentiam, aſtutiam, & alia ratiocinandi ſpecimina in hominibus, in ſimilia principia conjiciat?

Q. IX. *An immortalitas animæ adverſario fide & Scripturâ ſolâ innoteſcere debeat? de animabus brutorum aliqua in ſcriptura quæſtio?*

℞. Concilium Lateranenſe ſignatè non ſolùm juxta fidem, ſed & juxta Philoſophiam contra temerè philoſophantes animam immortalem declarat. Quantùm ad animam brutorum: hanc clarè ſcriptura loquitur: (f) *Vade piger ad formicam diſce ſapientiam* (g) *Cognovit bos poſſorem ſuum &c.* (h) *Milvus in cœlo cognovit tempus ſuum &c.* Hæ, & aliæ ſcripturæ interpretationibus Recentiorum ſubjacent, quidni pro anima rationali allatæ non ſubjacebunt?

§ 4tus.

Sacramentum Euchariſtiæ per Carteſianam, & Recentiorum Philoſophiam convellitur.

Q. I. *Quô fundamentô evincitur?*

℞. Recentiorum propoſitionibûs, ſignan-

(f) *Prov. 6.* (g) *Iſa. 1.* (h) *Hierem. 8.*

gnantibûs, vel ex Philoſophia illorum illatîs.

1ma. *In Sacramento Euchariſtiæ nulla ſunt accidentia.*

2da. *Rectè explicatur tranſubſtantiatio, & reliqua ad Sacramentum pertinentia ſinè ullis accidentibus, & qualitatibus abſolutis.*

3tia. Maignanio conſentiens: *accidentia Euchariſtica ſunt meræ rerum apparentiæ, Deô oculis, & aliis ſenſibus illudente, ad occultandum myſterium.*

4ta. *Eſſentia corporis conſiſtit, in trina dimenſione in longum, latum, & profundum.*

5ta. *CHRISTI Corpus, quod fuit in Cruce, eſt in Cœlo, nequit eſſe in Euchariſtia.*

6ta. Nonnulli Carteſiani, *panis ſubſtantiam in conſecratione uniri volunt Verbo Divino:* ut P. Aylevorth (i) S. J. Prof: Theol: Leodii.

Q. II. *Quomodo per 1mã convellitur?*

R. Juxta Carteſianos, & alios recentiores Philoſophos vel integra ſubſtantia panis poſt conſecrationem perire creditur, vel non? Si primum; hoc: quod remanere cenſetur; non eſt ſubſtantia; igitur erit accidens? ſive alio nomine velis loqui; erit ſpecies, erit ſignum ſenſibile, reale. Si ſecundum: contra Lutherum & Calvinum otiosè, frigidè Concilium Tridentinum tranſubſtantiationem adæquatam in Euchariſtia ſancivit.

(i) *Tract: 1. diſp. 5. c. 1.*

Q. III. *An ſit de mente Concilii Tridentini, poſt conſecrationem ut accidentia remaneant?*

℞. Concilium Tridentinum quatuor definivit. 1mò: (k) *CHRISTUM Dominum eſſe realiter, & verè ſub ſpeciebus Euchariſticis.* 2dò. (l) *CHRISTUM totum ſub ſingulis cujuſque ſpeciei partibus contineri.* 3tiò. (m) *Poſt conſecrationem in Euchariſtia nil remanere ſubſtantiæ panis & vini, quia tota in Corpus, & Sangvinem CHRISTI convertitur.* 4tò. Eodem canone: *poſt conſecrationem in Euchariſtia remanet duntaxat ſpecies panis & vini.* Omnia Concilia, omnes SS. Patres, tota Eccleſia clamat uno ſpiritu deſtrui ſubſtantiam panis & vini, ſolaq; accidentia manere.

Q. IV. *An conſtet, quòd Concilia & Patres, per ſpecies panis intellexerint accidentia materialia?*

℞. An conſtet Concilia & Patres *per ſpecies panis & vini*, intellexiſſe vel ſuperficiem extimam panis & vini mediam inter ſubſtantiam panis & vini, & Corpus extrinſecum circumambiens, ùt voluit Carteſius, vel minuta corpuſcula non conſtituentia ſubſtantiam panis naturaliter inſeparabilia intra poros ſubſtantiæ panis hærentia,

(k) *Can:* 1. *ſeſſ.* 13. (l) *Can:* 2. (m) *Can:* 3.

rentia, quæ efficiunt ſenſibilitatem panis, ut Gaſſendus.

Q. V. *An ſit mentio in Conciliis de accidentibus?*

℞. Concilium Colon: ſub Paulo III. Annô 1536. ait: *quid enim aliud, panis utique ſpecies ſunt poſt conſecrationem, quàm ſpecies Sacramentales, & accidentia ſinè ſubjecto?* Quid clariùs Conciliô Romanô generalî 1413. Conciliô Conſtantienſî, 1414. quod contra geminos impietatis coryphæos Joannem Wicleſum, * & Joannem Hus fulminavit, accidentia ſinè ſubjecto in Euchariſtia ſanciendo.

Q. VI. *Wicleſus & Hus quo ſenſu accidentibus Euchariſtiæ contrarii?*

℞. Wicleſus ** & Hus hanc propoſitionem mordicus tuebantur: *accidentia in Euchariſtia non manent ſinè ſubjecto:* Concilium contradictoriam ſtatuit: *accidentia in Euchariſtia manent ſinè ſubjecto.*

Q. VII. *An doctrina hæc de accidentibus*

---

* Duo articuli Joannis Wicleſi damnati: 1mus: ſubſtantia panis materialis, & ſimiliter ſubſtantia vini materialis manet in Sacramento Altaris. 2dus: Accidentia panis non manent ſinè ſubjecto in eodem Sacramento.

** Qui fuit circa Annum Dñi 1370. ejus libri poſt 1400. delati in Bohemiam, totum illud Regnum infecerunt: Jacobitæ, & alii permulti in Bohemia hunc errorem libenter hauſerunt. *Bell: l. 1. de Sacr; Euch; c. 1.*

dentibus fuit nova in Eccleſia temporibus Concilii Conſtantienſis?

℞. Wiclefus (*n*) in eam ſententiam cõſpiravit, quòd nomen & doctrina de accidentibus nova ſit in Eccleſia, inducta à tempore Innocentii III.

Q. VIII. *Quid ſentiendum de antiquitate, accidentium in Euchariſtia?*

℞. Strabus (*o*) Monachus Fuldenſis, qui floruit circa annum 304. meminit accidẽtium, quæ, ùt ſapor, color, forma, pondus Corpus CHRISTI non afficiunt, nec in eo fundantur. SS. Patres tum remotioribꝰ, tum proximioribus ſæculîs decem, uſque ad Gaſſendum, Carteſium, Maignanium nõ dubitârunt accidentia exiſtere ſinè ſubjecto.

Q. IX. *Wiclefus forſan fuit Atomiſta, negabatq; dari accidentia Peripatetica?*

℞. Eo tempore ſepulta fuit hæc opinio teſte Raynaudo; & SS. Patres in Concilio Conſtantienſi arbitri, erant in ſententia Peripatetica eo tempore florente.

Q. X. *Opinio de accidentibus Peripateticis conformis fidei, an pugnat cum antiquis Philoſophis ignorantibus accidentia?*

℞. Thomas Valdenſis (*p*) profert mul-

D ta te-

(n) *Lib: de Apoſt: c.11. apud Valdenſem lib: de Sacr.*

(o) *In cap. 11. 1mæ ad Corin: Gloſſæ ordinariæ.*

(p) *Tom: 2. c.76. apud Bellar: l.3. c.24. de Sacr: Euchariſtiæ.*

ta teſtimonia veterum Philoſophorum, qui docebant poſſe accidentia exiſtere ſinè ſubjecto.

Q. XI. *Quid Ariſtoteles ſenſerit?*

℞. Cum Bellarmino Ariſtoteles id quidem non concedit, quia non poteſt naturaliter fieri, tamen apertè docet; non eſſe inhærentiam de eſſentia accidentis, quod nobis (ait idem Auctor) ſufficit ad refutandam Petri Martyris vanitatem.

Q. XII. *An Ariſtoteles clarè de accidentibus loquens poteſt induci?*

℞. Quærit Ariſtoteles: (q) an ſpatium cenſendum eſſet vacuum, ubi ſolus eſſet color, aut ſonus, quæ ſanè quæſtio inanis eſſet omnino, ſi inhærentia eſſet de eſſentia: qui enim diceret colorem, neceſſariò includeret etiam ſubjectum, & proinde corpus. At de his uberiùs loquuntur ſcholæ.

Q. XIII. *Quomodo per ſecundam? nempe: rectè explicatur tranſubſtantiatio &c.*

℞. Concilium Tridentinum (r) adverſùs Lutheranos, ſimulq; Carteſianos ait: *Si quis negaverit mirabilem illam & ſingularem converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſangvinem manentibus duntaxat ſpeciebûs panis & vini, anathema ſit.*

Q. XIV.

(q) *L. 4. Phyſ. tex: 58.* (r) *Seſſ. 13. Can: 2*

Q. XIV. *Quid infertur contra Carteſianos?*

℟. Concilii definitio ſancivit totam ſubſtantiam panis & vini converti in Corpus, & Sangvinem CHRISTI *manentibus ſpeciebûs*: Recentior opinio ſtatuit rectè explicari tranſubſtantiationem, ſive converſionem, ſinè qualitatibus & accidentibus abſolutis, quæ quid ſunt, niſi ſpecies?

Q. XV. *Quomodo per tertiam Maignani?*

℟. Hæc elucidatio ſpecierum Euchariſticarum eludit Concilia.

Q. XVI. *Qua ratione alia refelli poteſt?*

℟. Per publicas vias cum defertur ad infirmum Venerabile Sacramentum, cur adeo acclinis populus in genua procumbat, flexo poplite præſentiam CHRISTI veneretur? cur tranſeuntes ad valvas templorum ſubſiſtunt, tremendum Numen in fide, & Spiritu fronte humum verberante recognoſcant? Nulla eo caſu ſenſibilis noſtrũ obtutum ludificat impreſſio? nullus oculos reverberat color? nullum itaque latebit myſterium, & Sacramentum? Quid obſecro exquiſita pietate aſſervatur in ſacrario, * pyxide, quid in tabernaculo, non ſpe-

* Concilium Trid: Can: 3. cap: 6. teſtatur conſvetudinem aſſervandi Venerabile in Sacrario adeo antiquam eſſe, ut eam ſæculum etiam Niceni Concilii agnoverit.

ſpectante ſenſuum noſtrorum miniſterio?

Q. XVII. *Quomodo per quartam?*

℞. Fides noſtra eſſentiam corporis à trina dimenſione, & trinam dimenſionem ab eſſentia corporis ſecernit, quandoquidem in myſterio Euchariſtiæ extenſio panis & vini, ſinè corpore, panis & vini, Corpus CHRISTI, in quavis fractura panis integrum, ſinè extenſione naturali partium exiſtere creditur? Quomodo enim integrum CHRISTI Corpus in minima particula eſt extenſum? *

Q. XVIII. *An verùm, quod volunt Carteſiani, CHRISTI Corpus in Euchariſtia eſſe ſubſtantialiter totum, non quantitativè integrum?*

℞. Concilia ſub quavis hoſtiæ particula non ſolùm totum, ſed totum, & integrum contendunt, adeoque etiam quo ad partium integrantium completionem, ut Concilium Tridentinum loquitur. *totus, & integer CHRISTUS ſub ſpecie panis &c.*

Q. XIX. *Quomodo per quintam?*

℞. Corpus CHRISTI in Cruce, & in Cœlo extenſum, clarùm Carteſianis, in Euchariſtia non eſſe extenſum & integrum

quan-

* Concilium Baſilienſe ſeſſ: 13. ſub qualibet ſpecie eſt integrè totus CHRISTUS.

quantitativè: igitur contra Patres * & Scripturã ** alium Chriſtum pro nobis paſſum, in Cœlo gloriosum, alium in myſterio Euchariſtiæ latitantem effingunt?

Q. XX. *Quomodo per ſextam?*

℞. Cum Auguſtino: quæ à veritate non veniunt ſeipſa ſubvertunt, quin, & alia obruunt. *Tranſubſtantiatio* panis & vini, *converſio adæquata* in Euchariſtia, manifeſtùm, quòd concidat.

Q. XXI. *Cur myſterium Euchariſtiæ tot opinionibûs plerumque erroneis oppugnatur?*

℞. Cum Aug: *Perſecutores Eccleſiæ patientiam, hæretici ſapientiam exercent.* Bellarminus (ſ) plus ſupra duodecẽ hæreſes *** enumerat adverſùs myſterium Euchariſtiæ novi aliquid molientes perverſô ingeniô. Pleræq; Philoſophorum ſectæ, cum naturas

D3 rerum

---

* Aug: Serm: ad Neophytos: hoc accipite in pane, quod pependit in Cruce, hoc accipite in calice, quod manavit de Chriſti Latere.

** Hoc eſt Corpus, quod pro vobis tradetur; hic eſt Sangvis, qui pro vobis effundetur. *Matt. 26. & Marci 14.*

(ſ) *L. 1. de Sacram: Euch: c. 1.*

*** Cupivit per hæreticos diabolus efficere, ut in Eccleſia eſſent liberæ diſſenſiones, quomodo erant in Academiis Philoſophorum, ut ſicut illæ, per multas diviſiones tandem intereunt, & ad invicem conſumuntur, ità fieret in Eccleſia. *S. Aug: l. 18. de Civ: c. 52.*

rerum tenaciùs fulcire experimentîs cupiunt, myſterium Euchariſtiæ, in ſinu ſpecierum ſenſibiliū reconditum injurioſè cōcutiunt. Defendunt naturam, oppugnant myſteria: Durioribus negotiîs eniteſcit veritas fidei, & per contraria certamina difficiliorem ſui aperit aditum, & inſinuat.

§ 5tus.

Veritas Fidei noſtræ per Recentiorem Philoſophiam convellitur.

Q. I. *Quod motivum propugnandi veritatem Religionis Catholicæ?*

℞. Tres belli cauſæ juſtæ: *defenſio, correctio, recuperatio.* Peccamus Peripatetici Philoſophi, ſi veritatem fidei noſtræ defendimus, ſi emendamus aberrantes recentiorum opiniones, priſtinum veritatis Philoſophicæ recuperamus ſplendorem.

Q. II *Quis offenſo Marte veritatē fidei oppugnat?*

℞. Integra Philoſophia Carteſii, utpote militis & Philoſophi, quæ eſt veluti cataphractus exercitus expeditione ſuſcepta ad ingeniorum cum veritate conflictum.

Q. III. *Cum quo committitur hic conflictus?*

℞. Recentioris Philoſophiæ cum antiqua

qua veritati fidei obſequente, quæ licet tot digladiationibûs & telîs pulſata, ſtat ntrepida, & invicta. Enimvero is eſt nativus veritatis color, in adverſis clareſcere, & non exſtingvi, collatione hoſtium erigi, non ſuccumbere.

Q. IV. *Quâ induſtriâ aciem ſuam ordinavit?*

℞. Exdiviſit Philoſophiam in frontem, tergum, alas. In fronte experientiam ſenſuum, & mechanica principia locavit, tergum *tribûs elementîs* communivit, alas dogmatibûs, propoſitionıbûs, tanquam ſuccenturiatis turmîs inſtruxit, ipſe Dux & miles, Imperator, & famæ ſuæ tubicen.

Q. V. *Quæ cauſa in Philòſophia Recentiorum diſſenſionıs cum veritate Catholica?*

℞. Xerxes ob caricas Atticas gratiſſimi ſaporis; acquirendas cum Græcis: Longobardi in Pannonia degentes ob vinum odoratum, carnem ſucci plenam, & dulciora poma cum Italis * bellum ſuſcepêre. Carteſius, Gaſſendus, & congregata recentiorum phalanx; Leucippum, Democritum, Epicurum ſecuta, ob voluptatem ingenii & ſenſuum blandimenta texturîs, combinationibûs atomorum, veluti incantationibûs

 dece-

* Italia fæcunditate in ſe hoſtem excitavit. *S. Ambr: contra Symm.*

deceptorum bellum indixit Orthodoxæ veritati. Spectemus has imbelles alas.

Q. VI. *Quæ propoſitiones Recentioris Philoſophiæ convellunt veritatem fidei?*

℞. Sequentes. 1ma. *Tam validis argumentis poſſunt fidei Chriſtianæ dogmata oppugnari, ut ſalva ratione ſolvi non poſſint.*

2da. *Libri Sacræ Scripturæ non hujus temporis, ſed Judæis fuêre ſcripti.*

Q. VII. *Quæ ratio impellit ad impugnandam 1mam propoſitionem?*

℞. Amor veritatis, & neceſſitas tuendæ Religionis ad reddendam fidei noſtræ rationem, ut Auguſtinus ait. (*t*)

Q. VIII. *An ſpectat ad Philoſophiam, fidei noſtræ reddere rationem?*

℞. Si Philoſophia Chriſtiana veritatem fidei noſtræ rationum naturalium fulcimẽtîs non juvat, aut, quod peſſimum eſt, ſi à fide diſſentiat, cum illaq; momentô rationũ non cohæreat, recentiorum Philoſophia tumida eſt, ampullata, manca, ſtrigoſa, ethnica, nec nomen, nec amorem meretur ſapientiæ.

Q. IX. *Fides noſtra an cum ratione naturali conſentiat?*

℞. Ne-

(t) Irruentibus importunè inimicîs reſiſtere cogit, non aviditas adipiſcendæ laudis humanæ, ſed neceſſitas tuendæ ſalutis & libertatis. *Lib: 3. Civ: c.10.*

℞. Neutra utrique eſt inimica; cohærent ſecum, non diſſident. Fides ſuperat rationes humanas, non oppugnat. Rationes humanæ ſunt inferiores fide, ſed cum fide concordes.

Q. X. *Quæ præcipua ratio veritatem fidei cum Philoſophia concilians?*

℞. Verum vero non opponitur, nec una veritas aliam retundit, cum utraque tam naturalis, quàm ſupernaturalis à DEO ſit. * Veritas ſemper conſtans eſt, nec diſſimilis.

Q. XI. *An in Scriptura eſt aliquid contrarium rationi?*

℞. Quid in Scripturis? quid in lege Divina adeo rationem jugulans? quid? quod quamvis excedat aciem ingenii, limatiſſimo judiciô probari non debeat? Fides noſtra continet ſe intra fines *rationabilis obſequii*, (*u*) & defæcatæ prudentiæ, nec lex fidei, legem rationis oppugnat, ut conquerebātur Ethnici teſte Auguſtino: imperari abdicationem rerum terreſtrium commentitiam, & inſanam. *Viſi ſunt iis Chriſtiani res humanas*

---

* Quemadmodum revelatio ſupernaturalis certiſſima eſt, ità & ratio naturalis, dummodo ideis claris & diſtinctis innitantur, nam ſi alterutra falleret, prima erroris cauſa in Deum refundenda videretur. *Purchot: 4. part: Log: c. 3. axiom: 3.*

(u) *Ad Roman. 12.*

manas ſtultè, & ſuprà quàm oportet deſerere.

Q. XII. *An debeamus reddere rationem fidei noſtræ?*

℞. Scrutator veritatis opprimitur. Captivandum intellectum in obſequium rerũ Divinarum etiam Ethnici putabant, non ideo tamen, ut ad reddendam rationem, & ad diſſipandas verſutias inhabiles, aut imparati ſimus.

Q. XIII. *Si Religio noſtra non redderet rationem fidei ſuæ, cui eſſet ſimilis?*

℞. Pythagoricæ ſectæ, cujus alumni rationem aſſertorum non inquirebant, nec oppoſita tela diſcutere parati erant, ſola authoritate Præceptoris mordicus retenta contenti. * Similis foret indoctæ Saracenorum, Paganorum, Hæreticorum conſvetudini, qui præjudiciîs majorum ſuorum imbuti nulla omnino antecepta ſuæ ſcientiæ informatione, nullâ redditâ causâ, non diſſipatîs veræ Religionis munimentîs, imò armîs fidei noſtræ captivi, prava ſectarum ſuarum dogmata tenaciùs conſtringunt.

Q. XIV. *De Luciano Antiocheno hac in materia quid proferant Hiſtoriæ?* (v)

℞. Hic, cùm rogaretur à Præſide, cur, cùm vir rationalis, & prudens eſſet, ſequeretur

---

* Pythagoræ alumnorum unica ad omnia pro & contra ratio: ità Magiſter dixit, ità docuit.

(v) *Apud Euſebium lib: 9. Hiſt. Eccl: c. 6.*

retur ſectam, cujus non poſſet rationē reddere; in hæc verba reſpondit: *Nos Chriſtiani non ſicut vos putatis humanæ alicujus perſuaſionis errore conſtringimur, nec indiſcuſſa, ut alii, Parentum traditione decipimur. Author nobis eſt de DEO DEUS, nec enim poſſet ſublimis illa majeſtas ſenſibus humanæ mentis illabi, niſi, vel Spiritus ſui veritate delata, vel verbi, aut ſapientiæ ſuæ interpretationibûs indicata.* *

Q. XV. *Quid hac in materia Philoſophia recentior?*

℞. Concilia, Patres, Scripturam non invitat ad ſua dogmata roboranda, nec Philoſophiam cum iis conciliat, imò dogmata fidei, eorumq; robur, excuſſis rationum naturalium fulcimentîs ad tuendum inermi ſua ſcientia evertere contendit.

Q. XVI. *Quomodo ſecunda;*

℞. D. Hieronymus, qui poſt verſionem Latinam Itala dictam, ex Græca verſione Septuaginta duorum interpretum ** quâ

ute

---

* Rerum naturalium notionem fidem gignere, nutrire, roborare. *S. Aug.*

**Totum vetus teſtamentum tribus annis ante Nativitatem Chriſti poſtulante Ptolomæo Philadelpho Ægypti Rege, & Elzearo Pontifice ejus votis annuente à ſeptuaginta duob9 interpretibus Hebraicæ & Græcæ lingvæ periſſimis, licèt, ſejunctis & ſeparatis Divino Spiritu in unam ſententiam coëuntibus, in Græcam lingvam translatum, & à Judæis probatum, ac relicto Hebræo in Synagogis legi cæptum.

utebatur Romana Eccleſia, uſque ad editionem Hieronymi, Hieronymus inquam bis tranſtulit vetus teſtamentum in Latinũ: primò, ex Græco, ex verſione ſeptuaginta duorum interpretum, altera vice ex Hebræo textu: Doctor igitur hic de Eccleſia Catholica bene meritùs, propter Judæorum ſtabiliendam fidem conſcripſit verſiones Latinas? Quàm perbellè de libris Sacræ Scripturæ tanquam veritati Catholicæ fulcimentis ſentiunt nonnulli recentiores, timendumq; ne illis appingatur, quod de Hæreticis Auguſtinus (*x*) nonnullos Scripturæ libros eliminantibus, *Scripturas ſic recipiunt, ut ſuô quidem privilegiô, imò ſacrilegiô quod volunt, ſumant, quod volunt, rejiciant.*

Q. XVII. *Hæcné ſolum Carteſianæ Philoſophiæ receſita dogmata, tanquã fidei everſiva?*

℞. Pudet alia retexere, & tacere magìs expedit, quàm eloqui; aliô tamen locô catalogum dogmatum Carteſii, & recentioris Philoſophiæ annectam. Ea eſt lex temeritatis ingeniis inſolentioribus indita, ut cùm profana violare non diſſimulent, ad Divina etiam ſacrilega mente attentanda calliditatem ſuam convertant, & ut ſuæ impìetatis aſſeclas adſciſcant, impia ſapiunt, & novitate placere cùm ſtudent,

(x) *Lib: de bono perſever.*

dent, antiquis ſapientioribus non credunt. * Vereor declamare & illud: contra novas Philoſophorum opiniones in Eccleſia DEI excitatas firma poſſeſſione hæreditantibus ſapientum conſiliis contrarias; quod Bellarminus, (y) hæreticorũ malleus, & eorum notas optimè indigitans, de novis poſt fidem longo tempore radicatam in fide opinionibus.

Q. XVIII. *Cur Ariſtoteli ejuſq; Philoſophiæ parcitur, quæ contra Scripturarum, fidem, & Dei Providentiam, cùm erraſſe deprehenditur, meritò ſuperiori capite enumeratos errores affricat, gradumq; ſternit ad Atheiſmum?*

℞. Ariſtoteles in multis peccaſſe excuſatur, ut Ethnicus, Carteſius accuſatur ut Catholicus. Ariſtoteles, licèt prolapſus eſt in multis, errores tamen plures veterum Philoſophorum exſtinxit, Carteſius excitavit. Ariſtotelem, ejuſq; Philoſophiam, Divus Thomas emendavit, & fidei Catholicæ cõformem

---

* Quid iniquius, quàm impia ſapere, & ſapientioribus doctioribuſq; non credere? *S. Leo Epiſt. 10.*

Vetera inſtituta corruptis moribus jam pridem ludibrio ſunt. *Sal: de ord: Reip:*

(y) Una eſt ex præcipuis notis hæreſeos, ſi poſt fidem Catholicam prædicatam, & longo tempore cultam, aliqua opinio exoriatur, quæ novitate ſua perturbet animos, fidelium aſſvetos jam dudum contrariæ doctrinæ. *Lib. 14. Controv. c. 7. de amiſ. grat.*

formem reddidit. Carteſium ejuſq; Philoſophiam nemo ſecutus, niſi errores opinione eadem ſentiendi auxerit, ac locupletaverit, diſſentientem rebus fidei ſemper voluerit. Hæc in ſumma: majora pro Ariſtotelica Philoſophia, variis quæſtionibus producemus; non ideo tamen Carteſianorum Philoſophiam carpemus, quia contraria Ariſtotelicæ Philoſophiæ, ſed quia Religioni permaximè. Sitque iſta in Græcorum levitate; ut Cicero ait; (z) perverſitas, qui maledictis inſectantur eos, à quibus de veritate diſſentiunt.

§ 6tus.

Recta ratio; per recentiorum Philoſophiam convellitur.

Q. I. *Quomodo aſſertum declarabitur?*

℞. *1mò.* Syſtema recentiorum; de corpore naturali pugnat cum principiis Metaphyſicis, & veræ Phyloſophiæ. 2. cum ſuis principiis, quibus innititur. 3. Carteſius præcipuè, paradoxa, loquuntur alii, ego veriùs, hymæras adverſo cornu eundē ferientes, ſuſcepit defendendas.

Q. II.

(z) *Lib. de fine c. 75.*

Q. II. *Qua ratione pugnat cum tota Philoſophia recentiorum ſyſtema?*

℞. Principium Metaphyſicum eſt, quod ea differant ſpecie ſubſtantiali, quæ ſortita ſunt prædicatum eſſentiale, in ſua entitate diſſimile, ut liquet in *homine* & *Angelo*: in ſententia Atomiſtarum, & Carteſianorum hoc principium ruere.

Q. III. *Fac, evolvas clariùs?*

℞. Evolvo: atomi; ex quibus omnia corpora conflari aſſeruntur; * à natura obtinent prædicatum eſſentiale, diſſimile in entitate, & tamen non differunt ſpecie ſubſtantiali; quoniam obtinent diverſas figuras ** quas volunt, *cylindricas*, *pyramidales*, *conicas &c.*

Q. IV. *Poteſtné ex diverſis figuris atomorum; inferri differentia ſubſtantialis corporum?*

℞. Diverſa figura atomorum, vel eſt ipſa natura atomorum, vel à natura provenit, vel ab extrinſeco, ſeu ab aliquo agente naturali *v. g.*. DEO ſuperſtruitur atomis. *Non primum*, quoniam manifeſtè, ut figuræ ſunt diverſæ ſpeciei, ità, & atomi forent

* *Cic: Academ: 2.* ex Epicuri ſententia aſperis, & levibus, & hamatis, uncinatiſq: corporibus concreta omnia aſſerit.

** Atomi nullam habent qualitatem, præter figuram, pondus, & magnitudinem, *Epic: epiſt. ad Herod.*

forent; & ut atomi ſunt ſimilis ſubſtantiæ in ſua entitate, ità & figuræ atomorum; per conſequens; homogenea atomorum natura adimeretur, utpote diverſis ſpecie figuris ſumma identitate coadunata: *non ſecundùm*, ſi enim diverſæ figuræ atomorum provenirent à natura earum, atomi exigerent eſſentialiter phyſicè, ut loquuntur ſcholæ, diverſas figuras, *v.g.* atomus A vendicaret ſibi figuram *cubicam*, atomus B *figuram pyramidalem*. atomus C *cuſpidatam*, &c: *non tertium*, ſequeretur etenim, nil tribui debere naturis rerum, ſed omnia refundi in DEUM, tanquam unicum & ſolum principium, *v. g. ignis* vendicat *calorem*, *aqua humiditatem*, hoc non ex natura proveniret, ſed ab extrinſeco ſubſtantiæ igneæ vel aqueæ, foret inditum.

Q. V. *An atomi exigant diverſas figuras, magnitudinem, &c.*

℞. Proprietates phyſicæ atomorum enumerantur: * *figura*, *magnitudo*, *motus*, *pondus*. Si ab atomis exigi negabuntur, nequaquam proprietates atomorum dicendæ erunt, ut, ſi *ignis* non vendicaret ſuæ naturæ

---

* Tria hæc accidere corporibus: figuram, magnitudinem, pondus, quorum hoc tertium, quæ Democritus perhibuerat, ab Epicuro eſt adjectum, quod hic motum corporum fore nullum ſentiebat, niſi hæc, gravitate percuſſa moverentur. *Plutar: plac. 1. c. 3.*

naturæ *calorem*, *ſol lucem*, quis primis ſaltem Philoſophiæ illuſtratus rudimentis, *calorem* proprietatem *ignis*, *lucem* *ſolis* contenderet?

Q. VI. *Quodſi atomi naturâ ſuâ exigant diverſas figuras, quid ſequatur contra oppoſitos?*

℞. Sequitur atomos non eſſe homogeneas, ſed ſpecie ſubſtantiali diſcriminari: clarum enim Philoſophis: diverſas proprietates phyſicas in diſtinctis rebus fundamẽtum eſſe extra controverſiam, diſcriminationis ſpecificæ, ſicque e.g. *ignis* cùm ex natura ſua vendicet *calorem*, tanquam proprietatem, *ſol lucem*, *aqua humiditatem*; prudentiali experientiâ conſtat diverſitatem ſpecificam ignis & aquæ reperiri. Si hoc phyſicæ generalis ratiocinium evertemus, quæ ratio juvabit, comprobandi *corpus* in ſua ſubſtantia differe à *ſpiritu*, *hominem* à *lapide*? Cùm igitur atomus A. exigeret figuram v.g. *cubicam* &c. quis diſcriminationem ſubſtantialiter ſpecificam, ſubtrahet atomis?

Q. VII. *An diſſonum foret Philoſophiæ, ſi DEUS pro libitu ſuo inderet atomis diverſas figuras, & combinationes?*

℞. Judicent Recentiores, an conſonum foret eorum Philoſophiæ, ſi quiſpiam atomos minutas nullam ex ſe & eſſentia ſua

extenſionem determinatam habere propugnaret? & corpus naturale extenſionem in longum, latum, & profundum ex p acito Divino? Quàm dolendæ in naturarũ ordine ſpectabuntur querelæ, eò graviores, quò virtus earum ſterilis, & infæcunda à ſua habitudine nullum emendicaret diſcrimen. Egena natura, & omni decore deſtituta nullas qualitates ſibi proprias expoſceret? An Philoſophi eſt, omnia in DEUM ut Authorem naturæ refundere, naturas verò, quas principium, & fontem emanativum ſuarum proprietatum profiteri cogimur, omni virtute ſtatum ſibi naturalem fabricante ſpoliare? Ad extremum; Philoſophi munus cauſam proferre, cur *v.g.* ignis exigat atomos figuræ acuminoſæ, ut acriùs pungat; aqua, atomos figuræ rotundæ, ut mobiliùs fluat. Recurret ad DEUM? hanc philoſophandi amuſſim, & cauſam reconditiorem, etiam rudioribus perſpectam? ſatiſq; quòd inſtruantur voluntate Dei omnia fieri: Recentiores indignum eſt, ut evadant Philoſophi. Ad quantas coëgit anguſtias Epicureos atomorum commentatio? *

Q. VIII.

* De Epicureis Carneades Philoſophus, apud Ciceronem lib: 3 de Orat: eos potuiſſe, ſuam cauſam ſinè commentitia atomorum declinatione defendere.

Q. VIII. *An congruit veræ Philoſophiæ omnia corpora accidentaliter differre?*

℞. Quomodo congruit omnia in idem deſinere, omnia, quæ in Cœlo, & in terra ſpectantur non magìs diſcriminari, quàm aqua calida à frigida, homo Europeus ab Æthiope. Cur adeo Philoſophi deſudent, in eſſentiarum deſcriptione, differentia unius corporis ab alio inquirenda?

Q. IX. *An per ſolam combinationem, & texturam atomorum differant omnia corpora?*

℞. Ignis & aqua per ſolam combinationem differre non valent, aliàs ità differrent, ſicut una combinatio militum in terniones, quaterniones, turmas, legiones exdiviſa. Deinde, eundē vultū omnibus hominibus, eundem colorem herbis & floribus, eandem vocem, & harmoniam lingvis & cantionibus nemo adjudicabit? nemo eandem ſubſtantiam, nec ſibi ſimilem omnium corporum inſtituto?

Q. X. *Quid ſentiendum de hac combinatione atomorum?*

℞. Sentiendum, quòd cauſæ creatæ nil aliud agerent, niſi pueriles in & ex arena criptas, furnos, foſſulas, aut ludum latrunculorum. Sentiendum, quod Angelus ſive bonus, ſive malus poſſet facilè reſuſcitare bruta emortua, facilè enim indu-

ſtriâ Angeli diſponi poſſunt, aut reduci ad priſtinum ſitum, ordinem, figuram, cõbinationem atomi, ut evadant organa proportionata ad vitam: cur enim non? nam ſi eandem combinationem poteſt aliud agens præſtare, cur non Angelus poteſt atomos diſſolutas, per motum localem ad eandem texturam invitare; atomos etiam vividas, & ſpiritoſas, quæ in morte animalis evolârunt, iterum reducere? cur enim non? maximè quod Theologi ea omnia, quæ fiunt præcisè per motum localem applicando, ut ajunt, activa paſſivis, ab Angelis poſſe fieri naturaliter concedũt. Sed de his plura aliô locô, vel tempore.

Q. XI *Quomodo recentior Philoſophia pugnat cum ſuis principiis?*

℟. Atomiſtarum, & Recentiorum principium inconcuſſum. *imò*: In rebus phyſicis neceſſe, ſequi judicium ſenſuum; quãobrem rejiciunt materiam & formam Peripateticam, quòd illam nemo viderit, nemo ſenſu perceperit. *2dò*: Nil fieri de novo, atque ex nihilo. *3tiò*. Reprehendũt unionem continuativam, quâ, una *v.g.* pars ligni conjungitur alteri, ut efficiat continuum quantum. Hæc moles caput eorum conquaſſare videtur, cùm contra ſuorum principiorum fundamenta nonnulla moliuntur.

Q. XIII.

Q. XII. *Quid molitur contra principia ſua, recentior Philoſophia?*

℞. *1mò.* Atomiſtarum nemo atomos cum ſuis nonnullis proprietatibus ſenſibili perceptione attigit, nec illas cadere ſub ſenſus, ipſi recentiores vindicant. *2dò:* teſtantur ſenſus de novo multa corpora ſubſtantialia fieri, *v.g.* ignem in ſubſtantiali natura de novo excuti è ſilice, ac magìs differre eundem ignem, à leone, quàm aurum quadratum, à rotundo. *3tiò.* Multa fiunt de novo, ùt intellectiones, volitiones, ipſamque combinationem atomorum; cùm corpora de novo in lucem prodeunt. Ignem incendiorum clade excitatum, quid prohibet de novo eluctari? Siccine non eſt novum, quod fertilior gleba florente meſse protruſit; quod hortorum, & vinearum ſplendor, relabente æſtatis ubertate communi bono contulit? *4tò:* Atomos hamatas, uncinatas, aduncas diviſioni fortiùs *e.g.* *in ferro* reſiſtentes profitentur recentiores, quæ omnia magìs diſſident à ſenſuum experimentis, quàm Peripatetica principia, materia, forma, & unio.

Q. XIII. *Quas contradictiones ſuſcipit recentior Philoſophia?*

℞. Eas, quas Carteſius ſupra modum

 in ſu-

* Unde Lucretius lib: 1. Cùm nequeant oculîs rerum primordia cerni.

in ſuis figmentis perplexus, nec ſibi conſtans. Mirum tamen, quod Carteſius Carteſium non exagitet, nec ſuîs telîs perimat? Verſatur in omnes partes à multis, & triumphat, ut olim Tucidides Oratorum nobiliſſimus, qui mirabatur palmam ſibi in manibus à Pericle infringi. Quare cum rogaretur ab Archidamo Lacedemoniorū Rege, ipſe, an Pericles melior luctator eſſet: *ego*, inquit, *illum luctando proſterno, ſed neſcio quô pactô reſiliens, perſvadet ſe non cecidiſſe, atque in eam ſententiam traducit multitudinem.*

Q. XIV. *An referri poſſint in particulari hæ contradictiones?*

℞. Carteſius vim moventem atomorum eſſe ſolum DEUM, aliô locô (a3) creaturis illam concedit. Deinde motum per translationem dicit eſſe modum in corpore. Et ibidem inquit: *advertis, motio quatenus eſt modus corporis, non poſſe tranſire ex uno in aliud.* Mundum pluribus in locis aſſerit infinitum, nec poſſe eſſe finitum, cum ſua idea claré, ullatenus congruere fatetur: (b3) interim contra ideæ ſuæ infallibi-

(a3) *Epiſt*: *69*.

(b3) 2. part: princip: num: 56. Manifeſtum mihi videtur, illam non aliam eſſe, quàm ipſum DEUM, qui materiam ſimul cum motu, & quiete in principio creavit. Epiſt: 72. Vis autem

libilitatem retractans priora dicit: *negare nequeo illius forſan fines aliquos eſſe DEO notos, licet inveniri à nobis non poſſunt. Illud eſſe verum, quod per claram & diſtinctam ideam percipitur*, interim materiæ ſuæ non ſatis ſe percipiſſe confitetur indefinitam diviſionem ac molem. Unicum quod dicam contradictionem declarat; cùm ex una parte *poteſt aliquid ſimul eſſe & non eſſe*, juxta Carteſium: ex altera: eſſentiæ rerum poſſunt mutari. Philoſophia recentiorum abſit, ut cornuta hymæra compelletur. *

Q. XV. *Quid ad extremum in Philoſophia recentiorum, rectam rationem enervat?*

℞. Illud, quod eruditiſſimus Leodienſis Theologus Ayievorth (c) profert: cujus verba annecto: *tantùm inſinuo aſſerere cum Carteſianis Divinam Omnipotentiam, tam anguſtis eſſe circumſcriptam finibûs, ut nequeat corpus ullum certô loci expanſum ſpatiô, vel colligere in magis arctum, vel diffundere in magis*

---

autem movens poteſt eſſe ipſius Dei conſervantis tantundem tranſlationis, quantùm à primo creationis momento in ea poſcit, vel etiam ſubſtantiæ creatæ, ut mentis noſtræ, vel cujuſque alterius rei, cui vim dedit corpus movendi.

---

* Paradoxa & contradictiones Carteſii demonſtravit libellus impreſſus Leopoli, cum theſibus Philoſophicis Oſtrogii propugnatis. Annô 1749.

(c) *Tract: 1. Metaph: diſp. 5. c. 4. num. 41.*

gis amplum; hoc inquam aſſerere; adeo cumprimo lumine, quô ab ipſa natura ſumus inſtructi videtur pugnare, ut non tantùm omnis Chriſtiana ætas, ſed omnis quoque deſtituta veræ fidei luce antiquitas cum Ariſtotele, ac Platone; oppoſita in mente ſemper fuerit. Neque ullus, cui fama finxit nomen ullum id aſſerere, ne videretur delirare, fuerit auſus.

Q. XVI. *Quæ cauſa tanti moliminis contra exiſtentiam Dei, immortalitatem animæ, myſterium Euchariſtiæ, &c. in Philoſophia recentiorum?*

℞. Cum Dione: (d3) *Sunt nonnulli, qui famæ cupiditate peſſimas res agere in animum induxerunt*, & ut novæ gloriæ poſſeſſionem firmare credantur, gloriam antiquorum, magnorum in Republica meritorum, ac multitudinis teſtimoniô comprobatam, in veteri Philoſophia evertere moliuntur, * exemplô Dolabellæ, olim Conſulis, & primò Tribuniplebis apud Romanos, qui accepto Tribunatu, poſt propoſitas novas tabulas, ſeu leges pernicioſas Reipublicæ, obſiſtente conatibus ejus Lucio Trebellio; magnos tumultus excitavit. Quare Dolabella cum

(d3) *Lib: 44.*

* *Vera autem gloria à Cicerone: philippicâ 1mâ num: 3. ità deſcribitur:* Eſt autem gloria; laus rectè factorum in Republica meritorum, quæ cùm optimi cujuſque, tum etiam multitudinis teſtimoniô comprobetur.

la cum minùs proficeret, deſperatione veniæ à Cæſare impetrandæ, eò adductus, ut magno etiam quodam facinore exhibendo perire conſtitueret, ex quo ſempiternam nominis ſuis memoriam relinqueret.

QUÆSTIONES NECESSARIÆ.

§ 1mus.
De utilitate Philoſophiæ.

Q. I. *Quæ utilitas Philoſophiæ?*

℞. Ex fine; ob quem inſtituta; penſanda.

Q. II. *Quis finis inſtitutæ Philoſophiæ?*

℞. Cognitio veritatis, & operatio virtutis. Finis remotus, jucunditas quædã mentis, ſeu juxta Auguſtinum: (e3) *beatitudo naturalis;* ob quam tempeſtiviùs aſſequendam homines ad philoſophandum compulſi.

Q. III. *Quæ rationes ſuadent Philoſophiæ notitiam?*

℞. Tres potiſſimum. 1ma. neceſſaria eſt homini ad vivendum humanô modô. *

2da,

(e3) *L. 19. de Civ: c. 1.* * Omnes Philoſophi docebant, non quemadmodum ipſi viverent, ſed quemadmodum vivendum eſſet. *Sen: vit: beat: 18,*

2dà. neceſſaria Regibus, Principibus, Regnis, &c. *3tia.* Veræ Religioni.

Q. IV. *Quid declaret neceſſariam eſſe homini Philoſophiam?*

℞. Hominem condidit DEUS mente præditum, & naturalî ſciendi deſideriô inſtructum, quod Philoſophiæ adminiculô feliciùs obtineri poteſt. Inſuper vitam humanam, quæ parte à brutis rationis expertibus ſecernitur, in vita rationali conſiſtere clarum eſt Philoſophis; hominem, *animal rationale* volentibus. Vivere vitam hominis; conveniens eſt, vivere, communione naturæ, vitæ brutis non abſimili; vivere vitam hominis humano modô, id eſt præ-lucente ratione, conveniens eſt vivere homini rationabiliter viventi, & communione rationis vitæ prudentiſſimorum conſimili. Jam ut rationabiliter vivat, à Philoſophorum libris uberiorem rationis fæcunditatem mutuare debet. Philoſophia ſanè in rationali ſcientia, Phyſica, Metaphyſica, Mathematica, illuminat mentem ad rectè cognoſcendum, in ſua Ethica inſtruit volũtatem ad rectè operandum. *

Q. V. *Cur neceſſaria Regibus, Principibus?*

℞. Ut

---

* Nulla alia tam vera eſt ſcientia, ſi quam optimè vitam homo ſuam norît ordinare. *Grev: l.2. c. 53.*

℞. Ut ſana conſilia à Philoſophis peritis eruditionem & immortalem gloriam ſibi vendicent. Quare interrogatus Theodoſius M. Imperator quid faciendum Principi ut eſſet bonus: *Principem*, inquit, *virtute, ſapientiâq; conſpicuum, cùm iter facit, comitari debent ſapientes cum illo colloquentes, & diſſerentes, cùm cibum capit, menſæ adſtare debent ſapientes diſputantes, ſecretum ſibi ſumenti, ſapientes adſint, cum quibus aliquid legat. In ſumma: quidquid temporis fuerit vacui, cum ſapientibus conſultando tranſigatur.* * An non meliùs ſapientes viri Principum curas providentiſſimis relaxabunt conſiliîs, quàm moriones, paraſiti, ſanniones, ſcurræ ad tempus fallendum nati, ludicrîs dicteriîs, & ſermocinationibûs:

Q. VI. *Quibûs documentîs reſponſum evincetur?*

℞. Neceſſitatem à Philoſophiæ peritis petitam, & ſummo emolumento conjunctā declarari poſſe ex imperiis, & gubernatione Regnorum, quæ Philoſophis deferebātur, ex familiaritate, quâ uſi ſunt Reges & Principes clariſſimi cum Philoſophis, ex inſtitutione Principum, cui Philoſophi præfici-

---

* Minùs enim temerarium eſt militem ſinè armis prælium ingredi, quàm Principem, non adhibitis in conſilium ſapientibûs, regere velle Rempublicam. *Grev: l.1. c.* 45.

ficiebantur ex honore, quem Philoſophiâ initiatis erogabant.

Q. VII. *Quæ natio Regnorum gubernationi præeſſe voluit Philoſophos?*

℞. Græcia: quæ conſortiô ſapientum maximè ſibi placuit, illoſq; & ſcholas docere, & clavum tenere imperii adjecit. Accommodè huic reſponſo Plato, Cicero, aliique memoriæ poſteriorum reliquerunt: quòd illîs temporibûs; & in illis Regnis, aut Philoſophi erant, qui imperabant, aut qui imperabant philoſophabantur.

Q. VIII. *Qui Philoſophi præerant imperiis?*

℞. Septem Græciæ ſapientes Philoſophi: Thales, qui primus Urſæ minoris inventor fuit, ejuſq; ſtellam in uſum navigantium notavit. Solon Salaminius, qui primus Athenienſibus leges dedit. Chilon, qui Athenienſium legatus orientem verſùs, profectus eſt. Pittacus, qui non ſolùm Philoſophus, verùm etiam Mitylenæorum Dux fuit. Cleobulus, ab antiqua Herculis poſteritate oriundus. Periander, qui longo tempore Corinthi rerum potitus eſt. Bias Prienæus Prienenſium Princeps.

Q. IX. *Qui Reges & Principes, & quos familiares ſibi habuêre Philoſophos?*

℞. Alexander *Ariſtotelem*, Darius *Plotinum*, Auguſtus *Piſtum*, Pompejus *Plautū*,

Titus

Titus *Plinium*, Adrianus *Secundum*, Trajanus *Plutarchum*, * Antonius *Apollonium*, Theodoſius *Claudium*, Severus *Fabatum*. In ſumma ex Gvevara: tanta fuit Philoſophorum in aulis Principum authoritas, ut illos filii Patrum locò haberent, Patres Magiſtrorum inſtar venerarentur.

Q. X. *Magni Principes, qui, & quos Philoſophos nacti ſunt magiſtros?*

℟. Darius Heraclitum Philoſophum, Alexander Magnus ** Ariſtotelē, Artaxerxes Menandrum, Polemon Athenienſium Dux feliciſſimus Xenocratem Philoſophū, Xeniader unicus Corinthiorum Rex, & ipſe habuit, & filiis dedit magiſtrum Diogenem, Epaminondas Thebarum Princeps, Magiſtrô & Conſiliariô uſus eſt, è Lyſide Lyſia; Achilles, quemadmodum Homerus dicit, Magiſtrum atque comitem laborum habuit Phænicem; Chironem, Cyrus Perſarum Rex, qui Babylonem illam magnam evertit; Magiſtrum habuit Pytharchum, Octavius Auguſtus II. Romanorum Imperator Palæmonem Philoſophum, & Pòétam celeberrimum. Veterum Principum exēpla cùm proponimus, laudari præſentis ævi cu-

* Qui & in pueritia illum erudit, & librum etiam ad eum ſcripſit de ſui ipſius, & Reipublicæ regimine.

** Alexander exactâ pueritiâ; per quinquennium, ſub Ariſtotele Doctore crevit. *Juſt. l. 12.*

vi cupimus, quod de optima filiorum ſoliciti inſtitutione, eos advigilent præceptores filiis ſuis præficere, qui non tantũ Philoſophi ſint, ſed omni literarum varietate inſtructi, ſapientes dici mereantur.

Q. XI. *Quo honore accepti Philoſophi?*

℞. Ptolomæus Philadelphus Rex magnus, non modò fuit auditor nobiliſſimus Græciæ Philoſophorum, ſed etiam Rex factus, 78. Philoſophos miſsîs legatîs ab Hebræis petiit. Ptolomæus Soter, Rex Ægyptiorum, amantiſſimus fuit tam Chaldæorũ ſapientum, quàm Philoſophorum Græcorum, idq; ſingulari ipſi gloriæ fuit. Idem; familiariſſimum Philoſophum habuit Stilponem Megarenſem, qui adeo fuit in amoribus illi Principi, ut, ne cætera commemorem amoris benevolentiæq: argumenta; non ſolùm aſſiduus eſſet Regi convictor; ſed ſæpènumero quod in ſcypho Regio reliqvum erat, juſſu Principis exhauriret. ** Antigonus in colendis Philoſophis Alexan-

* inter præcipua negotiorum ſæpe curatum eſt, ut erudiendis Nobilibus, Philoſophi præceptores ex Attica poſcerentur. *Symm.l.10. c.18.*

** Quod benevolentiæ documentum quidam Ægyptius Nobilis indignè ferens converſus ad Regem: ego, inquit, Domine neque te unquam, ut Stilponi aliquid in patera tua relinquas, ad ſati-

Alexandri Magni imitator, cujus domus in qua educatus erat, velut Gymnaſium fuerat omnium in terris Philoſophorum. Cùm autem Bion Philoſophus ei familiaris graviſſimô morbô decumberet filium ſuum miſit, qui illum inviſeret, magnāq; copiam auri, quod tamen contempſit, offerret. Sponte omitto plura: nec immerito Plutarchi (f3) ſententiam adferre vacat: *Reges cùm Philoſophos in honore habent, & ſe, & eos ornant.* *

Q. XII. *Quæ utilitas Regnis ex Philoſophia?*

R. Regna & Provinciæ ſunt communitas univerſalis, Civium; & populi diverſis officiis ornata. Ordo eſt, ut omnium rerum ſic etiam, & omnium ordinatarum communitatum anima. Et cum hæc præſtantiſſimæ ſapientiæ ſit opus præcelſum; illamq; non niſi ſapientes (quod Philoſophis

ſatietatem bibere, neque ipſum unquam ſitim reſtingvere, dum; quod ipſe daturus es, exſpectat, animadverto: cui Rex: rectè dicis; Stilponem eô non ſatiari, quod ipſi do, quoniam non tantùm ipſi prodeſt habere, quod de meo ſupereſt calice, quantùm tibi profuturum eſſet, ſi quod illi in Philoſophia ſupereſt, ipſe haurires.

(f3) *De ſanitate tuenda*, * Multo tempore duravit hic mos in Græcia, ut Philoſopho pretereunti Græcus aſſurgeret, & cum eo loquens, nequaquam ſederet.

phis nomen congruit) in corpus Reipublicæ inducere poſſint, quamobrem boni cōmunis emolumentô, utinam ſapientes gubernacula Reipublicæ ſemper moderentur, & ſceptra eis deferantur, qui aut Philoſophi regnent, aut Reges philoſophentur, aut Philoſophos & omnium diſciplinarum Magiſtros honore, præmiîs, veluti gloriæ, & laudis nutrimentô exſtimulent. Deinde, cauſas bonorum, & malorum ſcrutari, & rationem agendorum negotiis publicis, ſtatûs politici præfigere, optimi regiminis forma, quam niſi plurimarum conſequentiarum, ſcientiâ expoliti feliciùs elaborare adnituntur. *

Q. XIII. *An dicta firmari poſſunt exemplîs?*

℞. Cræſus Lydorum, Dyoniſius Syracuſarum Rex, Philoſophos ad conſilia è remotioribus plagis invitabant, aurô, argentô, poſſeſſionibùs, titulîs accumulabant, amore, gratia proſequebantur, ut illorum & eruditione propagata, & probatiſſimis conſiliîs, conderētur leges, ſervarentur ſancita, ſtabilirentur imperia, hoſtes tandem arcerentur à confiniis. Sapientiſſimum Sinarum imperium, (g3) illum ad officium Miniſtri

* Philoſophorum quippe eſt, non ſolùm ſpectare quid fiat, verùm etiam ſcire; cur fiat. *Grev: l.2. c.27. Hor: Princ.*

(g3) *P. Bartholi in Aſia.*

Miniſtri Statûs, & Conſiliarii admovet, qui poſt rigoroſam ſuæ ſapientiæ rationem, in bilance multorum ſapientum conſtitutam, verſatiſſimus in Mathematicis præſertim diſciplinis, proclamatuſq; Doctor evaſerit. *

§ 2dus.

De utilitate Philoſophiæ veræ Religioni.

Q. I. *An Philoſophia veræ Religioni perutilis?*

℟. Perutilis *imò*: quia Philoſophia veræ Religionis ſectatori rationes ſuppeditat, quibûs veritatem fidei Catholicæ ſtabiliat ** aliiſq; per augmenta à ratione naturæ petita inſinuare, invitatos ad fidem conformare, aberrantes vi rationum reducere valeat. *2dò*. Ut diſcrimen eniteat Doctoris Catholici à rudiori villano. Uterque fidelis eſt, uterque æquâ fidei immobilitate credit: ſed Doctor Catholicus juxta San-

* Non dedignatus eſt Cæſar (de Trajano a. it) Ariſtonis januam, Pompejus Cratippi frequentare. Non enim imperare, ſed rectè imperare cupiebant. *Ælian: extrem.*

** Non per ablationem Philoſophiæ perimitur veritas, ſed ad eam cooperatrix, & adjutrix invenitur. *Clem: Alexan: lib. 1.*

ta SanctumPetrum: (h3) *paratus ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti rationem de ea*, & juxta Paulum: (i3) *potens exhortari, in doctrina ſana, & arguere illos qui contradicunt*, id eſt Heterodoxos, quod literarum rudis & incultus, ac minimè exercitatus præſtare non poſſet. *3tiò*. Ad refringendos Hæreticorum errores, & diluendas fallacias, quibûs incautos proſternere conſveverũt, * & veritatem doloſis incantationibûs circumventam infirmare. *4tò*. Neceſſaria eſt Theologo.

Q. II. *Cur neceſſaria Theologo?*

℞. Refert Euſebius; Origeni morem fuiſſe, ut, ſi quos adoleſcentulorũ ingenioſos videret, traderet eis ea, quibûs Philoſophi diſcipulos ſuos, velut primîs elementîs imbuere ſolent; dicere verò ſolitũ: non parum ad intelligentiam Scripturarum emolumenti fidelibus conferri, ſi in liberalibus, & Philoſophicis literis exercerentur.

Q. III. *Quot modis Doctor fidelis reddere debet adverſariis rationem veræ fidei?*

℞. Tribûs. *1mò*. Demonſtrando nonnulla,

(h3) *1. c.3. ℣.15.*

(i3) *Ad Titum 1ma.*

* Philoſophia non veritatem facit potentiorem, ſed debilem adverſùs eam efficit Sophiſtarum argumentationem, & propulſans doloſas adverſùs veritatem inſidias; vineæ eſt ſeps, & vallum. *Clem: Alexan: l. 1. Strom.*

nulla, ut dicam, fidei veſtibula, & præambula, *e.g. Unitatem, Providentiam*, aliaſq; perfectiones Dei, *2dò;* explanando myſteria fidei, ut, *Trinitatis, Incarnationis &c.* quæ, licèt aciem noſtram intelligendi exſuperent; lumini tamen naturæ, haud eſſe inimica. *3tiò.* Solvendo rationes contrarias, myſteriis fidei, à Gentilibus, & Hæreticis adduci ſolitas.

Q. IV. *S. Paulus* (k3) *repulit Philoſophiam, deceptionem & inanem fallaciam appellando?*

℟. Cum Tertulliano, (l3) qui ait; *Apoſtolus fuerat Athenis, ibique expertus lingvatam Civitatem, cùm omnes illic ſapientiæ, atque facundiæ caupones deguſtaſſet, inde concepit præmonitorium illud edictum.* Veriùs tamen reſpondere liceat cum Clemente Alexandrino: hìc; damnatam Philoſophiam Epicuri, quæ tollit Providentiam, & in Deorum numerum refert *voluptatem.* Aut, cum S. Chryſoſtomo; & Auguſtino, apud Cornelium à Lapide; Platonicorum Philoſophiam, quæ docuit ab Angelis mundum eſſe conditum, Cœlos, & Aſtra eſſe animata.

(k3) Ad Coloſſ, 2do. *Videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundùm traditionem hominum, ſecundùm elementa mundi.*

(l3) Deſcrip:c.7.& l.de anima: c.3.Corn:àLap: per elementa mundi, intelligit rudimenta vanæ Philoſophiæ, circa mundi productionem, gubernationem,

Q. V. Tertulianus Philoſophos Hæreticorum Patriarchas appellat?

℞. Ethnicos Philoſophos, ex quorum figmentis Novatores, ut; Simoniani Gnoſtici, Valentiniani errores hauſerunt.

Q. VI. Nonnulli ex Sanctis Patribus Philoſophos, è Schola Christiana rejecerunt. Hinc fures & latrones vocatos, ajunt Sophiſtas fallaces?

℞. Græciæ Philoſophos, fures eſſe contendit Clemens Alexandrinus; quòd ultrà quàm à Moyſe & Prophetis ſapientiam ſibi ſubripuerunt gloriolæ aucupandæ gratiâ, quaſi ſuam jactare ſoliti.

QUÆSTIONES SELECTÆ

De utilitate Peripateticæ Philoſophiæ.

MAlè utilitati publicæ proſpiciunt, qui eam abſcondunt. Magni intereſt, ut inter cibos & pabulum corporis, ſic ingenii, non appetitum, & guſtûs cupidinem inſectari, ſed ſanitatis ad omnia utilis rationem pernoſſe. Quare; cum acrior contentio exorta inter novam, & veterem, recentiorem & priſcam Philoſophiam, & cùm cuique ſua, etiamſi non ſint, videntur honeſtiſſima, perſpicere non ſupervacaneum fore, utilitatem Peripateticæ Philoſophiæ Religioni

Catholicæ, tandem Orthodoxo Polonorum Regno, (cætera Regna Catholica de ſua Philoſophia judicent) ac meras cavillationes, quibus Peripateticam ſcholam fœdatam volunt; ſincera explanatione refringere. Regno quidem Poloniæ ex quadruplici capite perutilem Peripateticam Philoſophiam, ſuccinctè declaraturum me ſpero: 1mò. *Quia Poloni Acatholicorum grege ſtipati de vera Religione diſſidiis certamus.* 2dò. *Quia intaminatum MATRIS Sanctiſſimæ honorem ad ſangvinem, & vitæ exterminium propugnamus Poloni Sacramentô Sodalitatis obſtricti.* 3tiò. *Eloquentia, præcipuum lumen Regni nobis affulget.* 4tò. *Quia Juris Civilis in Advocatis peritia, & cauſarum in Curiis viget defenſio. Quæ omnia abſque ſcuto, & armis Peripateticæ Philoſophiæ tanquam inermes, & ignavi dolendæ exponeremus laniena.*

§ imus.

Quàm utilis ſit & neceſſaria Peripatetica Philoſophia Religioni Catholicæ.

Q. I. *Quæ utilis Philoſophia Catholicis?*

℞. Illa maximè: quæ fidem adjuvat, fulcit, & defendit; iidem enim olim fuêre Philoſophi, qui ſummi Eccleſiæ Doctores.

Q. II. *Quid Philoſophia efficere debeat in animis?*

℞. Multi Nobiliſſimi Rhetores Eloquentiam virtutem eſſe contendebant, nec poſſe niſi in bono viro reperiri, quantò magis Philoſophiam, utpote ratiocinandi & vivendi magiſtram ea dignitatis cohoneſtari debere majeſtate? verùm quid abſurdius, quàm cùm Philoſophia virtutis titulô decorata, vitioſos, & veritatis Catholicæ offenſivos errores inducat? quid autem pejus, quàm virtutis nomen in abuſum virtutis repullulans? Et quid virtutis naturâ in Philoſophia fœcundiùs? quæ non ſolùm bonos viros, id eſt bonos *Phyſicos*, *Mathematicos*, *Logicos*, verbô: *Philoſophos*, ſed & optimos efficiat Chriſtianos, ſapienter inſtitutos. Exoſum Philoſophiæ nomen, & nullô ævô memorandum, omni animi proviſione fugiendum foret, quòd proximè diſponētibus ad perverſa dogmata præjudiciis depravatos excitaret Philoſophos, ac veritatis, Religionisq; oppugnatoribus arma in jugulum ſuppeditaret?

Q. III. *Quæ Philoſophia bonos Catholicos & Philoſophos efficit?*

℞. Ariſtotelica, utpote fidei noſtræ amica conciliatrix, hoſtium tremor & excidium.

Q. IV.

Q. IV. *Quæ Philoſophia maximè fidei noſtræ conſentit?*

℞. Variæ ſunt eruditorum diſcrepantes ſententiæ. In Eccleſia Romana gemini Philoſophiæ Duces imperia ſcholarum tenebant, Plato, & Ariſtoteles, nuſquam Epicurus, Democritus, aut ex Recentiorib9 Gaſſendus, Carteſius, Wolfius, & alii ex antris Philoſophorum progreſſi.

Q. V. *Quid ſtatuendum?*

℞. Eccleſiæ præceptione Platonis Philoſophia in angulo otioſa ſquallet, Ariſtotelica conſenſu omnium Doctorum, Patrum Eruditorum, Academiarum, Religionum inſtitutô Ordinis Ariſtoteli obſtrictarum, * ubiq; floruit & floret;& è mente D. Thomæ, Peripateticorum doctrina, Chriſtiano dogmati conſentit plurimùm.

Q. VI. *An Peripatetica Philoſophia conſentiat cum ſacra Scriptura?*

℞. Clemens Alex:(m3) refert, Ariſtobulū multis librîs probâſſe Philoſophiam Peripateti-

F4

* PP. Theatini Conſtitutionibûs ſuis cōmendatum habent Ariſtotelem, ut ei inhæreant, ut Verani, in Præfat: ad lect: Univerſæ, Philoſ: plurimis tomis comprehenſæ. Aliæ Religiones celeberrimæ: ut, D. Dominici, D. Franciſci, S. Eliæ, ſui Ordinis ſeqvuntur Doctorem, Peripateticæ Philoſophiæ inſiſtentem. Inſtitutum S. J. Ariſtotelis Philoſophiam in ſcholis prælegendam demandat.

(m3) *Lib. 7. Eccl. Hiſt. c. 32.*

teticam ex lege Moſaica, & aliis dependiſſe Prophetis. Atomiſtarum, Carteſianorũ, quâ ſacrarum paginarum officinâ prodiit? quem ſcripturæ codicellum & Prophetas in ſuas partes traxit? quod Concilium, quem Eccleſiæ Doctorem ſibi conciliavit? imò quē non repulit?

Q. VII. *Num inter Doctores, & Viros Apoſtolicos viguerit?*

℞. Cum Euſebio (n3) Authore eruditiſſimo Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, apud doctiſſimum Canum: ſanè quis cauſetur miſerô ſæculô Ariſtotelem Theologis, Platonem autem meliore Eccleſiæ ſtatu placuiſſe; ſciatis, quicunque eſt tandem; ſcholā Ariſtotelicam Alexandriæ, tum etiam vigere ſolitam; cùm ibi Doctores Apoſtolici vigerent plurimùm.

Q. VIII. *Ariſtotelis Philoſophia nulla ſui parte Religioni Catholicæ declarabitur proficua, & ſacris literis cohærens?*

℞. Solus Ariſtoteles, ut ait Canus, abundè ſat eſt, ut ſit homo in Philoſophiæ tribus omnino partibus eruditus, ne dicam ſola illius Philoſophia tribûs præcipuè partibûs comprehenſa rei Catholicæ, quæ in Theologia explanatur, juvat authoritatem.

Q. IX. *Logica, ſeu rationalis ſcientia, Phyſica, ſeu naturalis, Metaphyſica, ſeu ultra*

(n3) *Lib. 5. Strom.*

ultranaturalis, *quomodo juvent Catholicam Theologiam?*

℞. Rationalis ſcientia, Dialecticæ ſubſidiô; naturalis, principiorum corporis naturalis, & accidentium materialium abſolutorum, cauſarum efficientium ſolida explanatione; ultranaturalis, demonſtrationibûs notitiam Dei, immortalitatem animæ noſtræ evidenter declarantibûs.

Q. X. *Recentior Philoſophia num principiis fidei diſſentiat?*

℞. Magna gloria Recentioris Philoſophiæ, quòd ſenſu ſuo abundans & experientiis ad primā veritatem tanquam naturæ abditis contrariam confugere, dedecori ſuo ducat.

Q. XI. *Sanè non eſt Philoſophi recurrere ad fidem tanquam primam veritatem?*

℞. Sanè non eſt Philoſophi acatholici. *Cedant*, loquor cum Auguſtino: (o3) *conjecturæ rationis humanæ, ut aſſumantur arma Divina.* Cur fides noſtra Philoſophiam Religioſam roborare non valeat? an ille veritatis eſt character alteri veritati opponi? quomodo quæ per veritatem revelatam vera ſunt, per Philoſophiæ evidentiſſimas rationes falſa evincentur? veritas non eſt, quæ pugnat cum veritate Catholica. *

Q. XII.

(o3) *Ser: 14. de verbis Apoſt.* * Totius Philoſophiæ ſumma, in ſerviendis Diis, & non offendendo homines conſiſtit. *Gver: l. 3. c. 53.*

Q. XII. *Philoſophia Ariſtotelis de fide, Conciliis, Sanctorum Patrum teſtimoniis non diſputat?*

℟. Sed fidei, Conciliis, SS. Patribus arma ſubminiſtrat? Et quantùm authoritatis Conciliorum, Patrum, & ſacræ ſcripturæ integritas poſcit, de ſenſu, conciliatione, veritate rationi naturali non diſſona, plerumque diſputationes inſtituit.

Q. XIII. *Religio noſtra, Theologia Catholica, ſuis nixa cardinibus, à Philoſophorum Peripateticorum ſtrepitu eſt aliena?*

℟. Theodoretus refert (p3) Didymũ, Grammaticam, Rhetoricam, Arithmeticã, Geometriam, Aſtronomiam, Syllogiſmoſq; Ariſtotelis didiciſſe, quòd adverſùs mendacium arma veritatis exiſterent. Scientiæ mutuo amplexu ſecum ſociatæ, una alterius deſiderat vinculô adunari. Grammaticam quis ſejunxit ab Eloquentia? Eloquentiam quis Dialecticæ præceptionib9 inſtructam negavit? Dialecticam, Phyſicam, Aſtronomiam nè utiquam à Theologiæ, & fidei communione ſejungas. *Hyadas Arcturum, Onocentauros, Orionem, Plejades, Titanes*, cæteraq; fabuloſa nomina Pòëtarum fatidico cerebro enata; ſcriptura non abhorret, Religio Catholica Philoſophiam Peripateticam abhorrebit?

Q. XIV.

(p3) *L.* 8. *hiſt. inpar,* c. 8.

Q. XIV. *An deceat Theologum Philoſophicis argumentîs probare ſuam veritatẽ?*

℞. Duos poſſe errores præcipuos cõtingere. *1mus* eorum; qui ſe totos in Theologiæ tractatione Dialecticæ Sophiſticæ nugamentis addixerunt, de Scripturæ ſacræ, SS. Patrum, & Conciliorum authoritate minimè ſoliciti, parum illis diſſimiles, quos Euſebius (q3) intantùm ſtultitiæ prolapſos ait, ut ſi quis ſermonem de ſcripturis propoſuiſſet, illi è contrario proponerent, utrum ille ſermo de quo agebatur, conjunctum an ſeparatum genus ſyllogiſmi faceret. Alter eorum, qui penitus rationem Dialecticæ, argumenti præcipuè methodum in ſcholis Orthodoxis à Sanctis Patribus uſitata profligârunt, Logicamq; Ariſtotelis, tanquam ingenioſas nugas & tormentum ingeniorũ, liminibus ſapientiæ excluſerunt. Quid obſecro; ejuſmodi homines, altero errore implexi cum hoſte fidei acturi ſint? qui Canones, Concilia, Patres, imò ipſam Scripturam obſtin tè proculcare voluerit? Quod; ſi Scripturam ſui juris faciet, illam tamen trũcare, diminuere, interpretari, eludere rationibûs aggredietur, imbellem, nudũ Theologum, Philoſophiæ telîs, clypeô, acumine non præmunitum, quo triumpho, acie veritatis non fugabit? quo ludibrio, quibûs

(q3) *L. 5. Hiſt. Eccl. c. ultimo.*

bus ſannis, & Theologiam Orthodoxam, & ipſum Theologum non excipiet?

Q. XV. *Quid agendum, ut Philoſophiæ Chriſtianæ dogmata fidei, inſerviant?*

℟. Geminas claſſes Philoſophorum ordinare neceſſe: alteram; quæ fidem Catholicam adversùs heterodoxos præmuniat; alteram, qualem recentiores jactitant, quæ remotioribûs à fide dogmatibûs mendacem ſenſuum experientiam, & ingenioru pruritum tueatur, alteram, quæ vivificet, alterā quæ occidat.

Q. XVI. *Quid Theologo Catholico cum Dialectica, Logica, Metaphyſica Ariſtotelis?*

℟. Quid Theologo Catholico, cum Epicuri, Democriti, & Gaſſendi collidentibus atomis, cum Carteſii ternario elemētorum? Eccleſia Chriſtiana, nullô ſæculô reprobavit Ariſtotelis Philoſophiā, recentiorum nullô ſæculô probavit.

Q. XVII. *Theologo Chriſtiano, ſufficit Sacram Scripturam, Concilia, Canones, SS. Patres ad ſolidandam fidei veritatem ſcire, ſinè Philoſophiæ præſertim Ariſtotelicæ ſubſidio?*

℟. Ea vox Lutheri eſt, qui ſectæ ſuæ abſurdiſſimos errores, eo pactô propagare confiſus, ſi Ariſtotelis Philoſophiam Theologo non eſſe neceſſariam orbi perſvaſerit, omneſq; ſpeculativas ſcientias errorem eſſe

non

non dubitaverit. Quare evenit, regnante in Germania Luthero, ſutores, ſartores cæmentarii, imò & mulierculæ, præclari Theologi haberentur, cùm ſacræ ſcripturæ, Conciliorum, & Patrum, truncatos textus, ſinè nexu, & profundiori ratiocinio veluti telum ex pharetra expeditè vibrare poſſent. Avertant Superi hoc probrum, ut cùm facilè intelligi, & memoriâ teneri poſſit recentior Philoſophia, contrà, Ariſtotelica, moleſta ſit, ſpinoſa, captumq; (ut volunt recentiores) excedat, minimè utraq; conveniens dicatur Theologo, ne quiſq; de trivio & gurguſtio, felici memoria dotatus laudem & gloriam Philoſophi recentioris, & Theologi; veterioribus ſurripiat.

Q. XVIII. *Quis finis eſt Chriſtianæ Philoſophiæ?*

℟. Præcipuus diſponi ad Theologiam, ſeu Divinam ſcientiam?

Q. XIX. *Num omnes, qui Philoſophiâ imbuuntur, futuri ſunt Theologi?*

℟. Duplex claſſis eorum, qui Philoſophiâ imbuuntur, vel qui ad plauſum & intelligentiæ expolitæ famam aucupandam, *Phyſico-Mathematicis quæſtionibûs* initiari exoptant, vel eorum, qui Divinæ ſcientiæ addiſcendæ operam, & animum adjicere cupiunt. Primi: in Philoſophia expolita nul-

nullum quidem ſubſidium adinveniunt ad Theologicam facultatem, cujus eruditione excoli minimè, alia ratio vitæ permittit. Verùm & illi nè ſola voluptate ingenii ineſcari ſe ſinant, rerum naturalium arduam, & moleſtam inveſtigationem ad Divinarũ abſtruſa Myſteria refractione quadam ingenii, erigere conentur. Tandem fidei Catholicæ elementorum non rudes, ſedulò perſpiciant politicam Philoſophiæ naturalis comprehenſionem myſteriis revelatis, an debere eſſe oppoſitã? Prudentiores filii tenebrarum, filiîs lucis, qui ad perverſa ſectæ ſuæ dogmata adblandientem ſuis erroribus adſciſcunt Philoſophiam, Catholicam, Ariſtotelicam, quippe cum ſua ſecta collidentem repungant & eliminent. Cæteri; nec gradum facient in obſcurioribus Divinarum rerum ſcientiis, niſi prælucentem ſibi Philoſophiæ facem habuerint.

Q. XX. *Recentior Philoſophia Ariſtotelicæ inimica: quid confert Theologiæ?*

℞. Cum eruditiſſimo Joanne Baptiſta du Hamel, * contrà recentiorem Philoſophiam graviùs queruloſo; quòd à Philoſophia recentiore ad audiendam Theologiam, ſeſe transferentes ne quidem terminos ſacræ Scripturæ uſitatos intelligant, Metaphyſicis enim, quaſi ultra naturalibus, illa potius

* *Apud P. Mayr in dedic. Log.*

potiùs ſpeculationibûs expolita; utpote myſteriîs fidei pro modulo humanæ rationis expendendis, magìs idoneum poſcit ingenium, illudque Dialecticis regulîs ad detegenda ſtratagemata hoſtium Eccleſiæ, (qui nos alio callidè avocare contendunt) accommodatis inſtructiſſimum.

§ 2dus.

De utilitate Philoſophiæ Ariſtotelicæ, Regno Poloniæ.

Regno Poloniæ, Regno Orthodoxo, perutilem eſſe Philoſophiæ Ariſtotelicæ tractationem, ille ambigat, qui, aut hoſtes fidei extero Marte ferociores, aut acriora cum illis Religionis certamina in viſceribus Patriæ non ſuſpexerit, ne dicam, vicerit.

Q. I. *Quo tempore Fides Catholica cæpit in Polonia?*

℞. Sub Miecislao I. Principe, qui A. 965, (r3) primus ante nuptiarum ſolennia cum Dombrowka Boleslai Regis Bohemorum Filia, Catholicam fidem amplexus. Inſuper indixit univerſo Regno, ut ſtatuta die luſtrali aqua ſe abluendos omnes traderent. Emerſit fides Chriſtiana in ſalutari lavacro, Regiſq; exemplô, radicibûs ſuîs fir-

(r3) *Cromerus de rebus Polon. l. 3. fol 47.*

is firmata propagari cæpit in ruinam idolorum conſentientibus veræ Religionis Cultoribûs.

Q. II. *Quis fide Catholica Regnũ Sarmatarum inſtruxit?*

℞. Philoſophi: S. Cyrillus & Methodius, Sclavinarum Moravorum Apoſtoli, & Doctores, Conſtantini Teſſalonicenſis, cognomentô Philoſophi; Filii, ipſi etiam Philoſophi.

Q. III. *Quibûs ſubſidiîs propagari cæpit?*

℞. Zelô Principum, pietate Procerum, unione animorum, literarum incrementô.

Q. IV. *Quô malô everti?*

℞. Doctrinîs variîs, (ſ3) & perverſîs ſectarum erroribûs. Nihil enim magìs cavere debent imperia, quàm; ne hæreticorũ (quos egregiè expreſſit Leo) (t3) contagiô, Religio Catholica contaminetur.

Q. V. *Quæ Sectæ præ cæteris in Polonia valuerunt?*

℞. Ut cæteras omittam: Schiſmaticorum, Arianorum, Lutheri & Calvini, quæ exhalata calliditatis peſte non modicô rei Catholicæ excidiô primas etiam Magnatum ædes in-

---

(ſ3) Doctrinîs variis nolite abduci. *S. Paul. ad Hebr. c. 13.* (t3) Hæretici humiliter irrepũt, blandè capiunt, molliter ligant, latenter occidũt. *Lib. 5. de jej.*

ædes invaſerant. (u) Atheum etiam quendam in Polonia commemorare licebit.

Q. VI. *Secta Schiſmaticorum quo rationum ariete impetebatur?*

℞. Eo præſertim, quo Concilium Florent: utebatur adversùs Græcos, eodem ſchiſmate depravatos; proceſſionem SPIRITUS Sancti à Filio, denegantes. Hic verò aries ex officina armamentaria Philoſophiæ Ariſtotelicæ acceptus: *ſi* SPIRITUS *Sanctus non procederet à Filio, non diſtingveretur à Filio, ſed diſtingvitur; ergo: procedit à Filio.*

Q. VII. *Immeritò hic aries Ariſtotelicæ Philoſophiæ adjudicatur?*

℞. Cùm Ariſtotelica Philoſophia: *ſyllogiſmos abſolutos, hypotheticos* doceat conſtruere, de *diſtinctionibus*, & *ſignis earum* pertractet, *relationes*, ſeu habitudines unius ad aliud examinet, meritò hic aries cudente illum Concilio; tanquam Schiſmaticorum malleo, ad officinam Ariſtotelicæ, non recentiorum Philoſophiæ reduci debeat.

Q. VIII. *Hæreſis Arianorum quàm gravis Religioni Catholicæ? quod telum, & arma illius contra Catholicos?*

℞. Gemuit ſe eſſe orbis Arianum, ut

(u3) Serò quippe peſtis hæreticorum, & hæreſeon exorta, ubi ſemel invaluit, excedit. *Grev. l.1. c.24.*

teſtatur Hieronymus. Integrum pæne Orientem infecit Arianiſmus, ſub imperio maximè Valentis, Arianorum patroni, Catholicorum hoſtis, qui evertit Monaſteria, Religioſos ad militiam cöégit, Gothos baptiſmô initiatos, (expoſcentes, expeditîs legatîs, ut mitteret Epiſcopos Catholicos & Sanctos, à quibûs fontem veritatis haurirent, miſit Eudoxium Arianum, cum aliis Epiſcopis Arianis,) Ariana labe infecit. Unde factum, ut Reges, ac Principes Gothorum, ſupra ducentos annos Ariani fuerint. Gemuit cum orbe Polonia Arianiſmô defædata, & vix Annô 1638. gemitu finem impoſuit, pulſis extra Regni limites Arianiſmi aſſeclîs.

Q. IX *Quibûs armis Chriſtianum orbem ad gemitum provocavit?*

R. Hæretici callidi ſunt, & aſtuti, nudam falſitatem veluti incultum ſimulacrum fallaci veritatis colore illinunt. Agebatur cum Arianis de Filio æterno; cui detrahebant Divinitatem, illud telum evibrando contra Divinitatem ejus: *Pater æternus eſt DEUS, Filius non eſt Pater, ergo Filius non eſt DEUS.* Hærebant miſeri Orthodoxi meliores Catholici, quàm Philoſophi.

Q. X. *Quis diſſipavit telum fallacis Arianorum argumenti?*

R. Peritia Dialecticæ, cujus ignoran-

tia uni-

tia univerſos illigavit. Tentârunt ingenia perverſi, & tentatio vinceret moram ſolutionis, nî Dialecticæ inſtructiſſimi ſolverent nodum, non tam diffici è intricatũ. Vitioſam eſſe argumentationem, & diſtortam à legibus bonæ conſecutionis demonſtrârunt. Aliud telum acuminatum Sancti Patres, Theologi, & Philoſophi intorſerunt: Verbum æternum fuit ab æterno, quoniam ut loquitur S. Joannes: *Verbum erat apud DEUM*: ergo Verbum æternum fuit DEUS. Ratio illationis bonæ, quia nulla creatura fuit ab æterno, ſed ſolus DEUS; * igitur, ſi Verbum fuit ab æterno, Verbum erat DEUS. Progrediamur ad Lutherum.

Q. XI. *Quô Annô, Lutheri, aliæq; Hæreſes in Poloniam transmigrârunt?*

℟. Annô 1572. clavum imperii Polonorum, tenente Sigiſmundo Auguſto, de ſtirpe Jagellonica. Verùm: Orthodoxum Regnum moderante Divinâ Providentiâ, ſub Auguſto II. ** Lutherana hæreſis pe-

G2 ricu-

* In principio creavit DEUS cœlum & terram: *Aug: 1. de Gen: ad lit: c. 3.* Illud certè accipiendum eſt in fide, & ſi modum noſtræ cognitionis excedat, omnem creaturam, habere initium, tempus ipſum creaturam eſſe, ac per hoc ipſum habere initium, nec eſſe coæternam Creatori.

** Auguſtus cenſorq; bonus morumq; Magiſter, Tutor opum, Vindex ſcelerum, largitor honorum, *Prudent. contra Sim. l.2.*

riculum ſubiit, ne urbe Torunenſi excideret. Obtulit in pœnam ſacrilegii ſangvinem, A. 1726. quô culpam dilueret morte damnatorum celebriorem. Sub AUGUSTO III. * nec ſæviunt adeo, nec nocent hæretici, cùm Auguſtam, Principis pietatem, & Mariæ Auſtriacæ; propagandæ Religionis Catholicæ ferventiſſimum ſtudium; utriuſque, in Saxonia, ad fidem orthodoxam invitandi, ſolicitudinem ſtupeant, & revereantur.

Q. XII. *Qua arte oppugnabatur Lutheri impietas?*

℟. Nullis temporibûs columnam veritatis, fidem Catholicam ea vî concuti diſſimulavit DEUS, ut illam valido umbone ab ictu non protegeret.

Q. XIII. *Quo modo DEUS Fidem Catholicam protegebat?*

℟. Novæ hæreſi, novos è diametro providit exterminatores. Ea die, qua in lucem emerſit monſtrum naturæ, lues gratiæ Pelagius; in lucem editus Auguſtinus, veluti Hercules Hydræ, Pelagianæ hæreſi oppoſitus. Ea rerum tempeſtate; qua Ethnici bellum indixêre fidei Catholicæ, exci-

cita-

---

* Sveton: Tranq: l. 2. de Cæſar: c: 20. dicit: ex omnibus Romanorum Principibus, nullum populo cariorem, nullum omnibus in bellis feliciorem Auguſto fuiſſe.

citavit DEUS Ordines Militares. (v3) Dominicum, cum ejus Familia adverſa facie oppoſuit DEUS Albingenſium, Ignatium, cum ejus phalange teſtante Eccleſia Lutheranorum calamitoso ſchiſmati. Sic evenit & Poloniæ; doloſis cuniculîs Reipublicæ penetralia, irruit uno oſtiô furens Lutherus, alterô, recludente aditum Sigiſmundo Auguſto, ab eodem in Poloniam feſtivè invitata JESU Societas illabitur. Egit ſtrenuè pro Religione plus, quàm infeſta Lutheri acies; contra Religionem molita eſt. Teſtem famam publicam voco, & attritos ſcribendi copiâ, hoc in negotio hiſtoricorum calamos.

Q. XIV. *Quomodo per fidei Catholicæ vindices everſa hæreſis?*

℞. Quas ſcientias exſtirpare contendebat Lutherus cum ſuis ſectariis, eas Ignatius Lojola in Gymnaſiis Catholicorum radicavit. Philoſophiam Ariſtotelis, & ſummè habitam Divi Thomæ Angelici Doctoris, in ſcholis authoritatē, ægrè ferebat Lutherus, ejuſq; fæx exoſa: quare induxit in animum Ariſtotelem, & Divum Thomam lacerare convitiîs, obſcurare fœdiſſima ſen-

(v3) Ribaden: in vita S. Ign * *DEUM; ſicut aliis temporibûs Sanctos Viros, ità Luthero ejuſdemq; temporis hæreticis Ignatium, & inſtitutám ejus Societatem objeciſſe.* Breviar: de S. Ign:

tiendi monſtroſitate, optimorum virorum ſtudia, & doctrinam traducere. Ad extremum; quod hæreticorum genii eſt, quæ, ulcus eorum virulentum exaſperant, & ſaniem mordent cavillari, eradere, & tanquam purgamenta eruditorum extra fores ejicere. Ignatius Doctor Pariſienſis, Lutheri profligator, Ariſtotelem & D. Thomam propagari in ſcholis, Inſtituti ſui rationibûs ſancivit.

Q. XV. *Quid adeo infeſtum Luthero, in Ariſtotelica Philoſophia?*

℞. Dialectica: quam judicem ſcientiarum appellat Auguſtinus; ſepimentum, ne veritas à ſophiſtis proculcetur, Clemens Alexandrinus. Dialectica opem fert, ne proſternamur ab hæreſibus, lydium exhibet, ut auream veritatem experiri faciamꝰ. De illa; totaq; Ariſtotelis Philoſophia, effatum eſt Hieronymi: *Quidquid in hoc ſæculo perverſorum dogmatum eſt, & putatur robuſtum, hac arte ſubvertitur, & inſtar incendii in cineres, favillasq; diſſolvitur.* Hæc tandem eſt ſcientia, quam Auguſtinus * præ cæteris Philoſophiæ partibus mirè percalluit, quam Catholici in hæretico, & hæretici in Catholico perhorreſcebant Auguſtino.

Q. XVI.

* Ego plura de Dialectica ſcio, quàm de quavis Philoſophiæ parte. 13. Controv: Acad: c.13.

Q. XVI. *Qua parte ſui pungit Dialectica acatholicos?*

℞. Rigido ſyllogiſandi tenore, quem Societas JESU, ex quo docendi munus aggreſſa in ſcholis ſuis per Regna, & Provincias Orbis diſperſis, familiarem reddidit, & hæreticis formidandum. Fuitq; non nemo, qui formam illam Jeſuiticam diceret, imperitè quidem, Societati tamen admodum glorioſè; imperité, inquam, hanc enim Chriſtianam potiùs dicere debuiſſet, ut, quam CHRISTO, atque Apoſtolis, Divus attribuit Auguſtinus, Dialectices * ipſe peritiſſimus.

Q. XVII. *Quomodo profecit hæc vis, argumentandi per ſyllogiſmum, in hæreticorum pertinacia?*

℞. Imago primi ſæculi S. J. exhibet: à Maldonato vî ſyllogiſtica aliquot ſupra viginti proſtratos miniſtros hæreticorum. Edmundus Campianus, glorioſus in Anglia Martyr, ab eqvuleo ad diſputationem pertractus contra Novellum, & Dayum, magna tunc Eccleſiæ Anglicanæ lumina, hac uſus ratiocinatione: *Si ſola fides juſtificat, ſinè charitate juſtificat, ſed ſinè charitate non juſtificat, ergo non ſola fides juſtificat;* Inopinatum apertæ veritatis telum adeo ad-

 verſa-

* S. Auguſtinus à Petuliano, per opprobrium Dialecticus appellatus.

verſarios perculit, ut cùm negare ea, quæ ſumebantur non auderent, id ſolùm occlamarint; vitioſam eſſe collectionem, quam tamen examinari ad leges Dialecticas; quod unicè urgebant Catholici nunquam ſunt paſſi. Impulit ergo res iſta Anglicos hæreticos, in eam mentem, ut exiſtimarent cũ Jeſuitis in poſterum tormentîs potiùs certandum, quàm argumentîs.

Q. XVIII. *Quid de diſputatione Ratisbonæ proferendum?*

℟. Diſputatum eſt Ratisbonæ A. 1601. coram Bavariæ Duce Maximiliano, & Comite Palatino Philippo Ludovico Neoburgico, à Grethſero, & Tannero ejuſdem Societatis Theologis, adversùs collectam è tota Germania Hæreticorum manum; ea felicitate, ut facilè liquet ex Typîs evulgata diſputatione, quantùm roboris præferat celebrata diſputandi forma, in acatholicorum inſultus, & quanto metu obruat fugientes hanc formam?

Q. XIX. *Cur adeo vim argumentandi fugiant acatholici?*

℟. Cùm doctrina hæreticorum ſit varia, à veritate, & ſeipſa aliena, * cum ſit

pere-

* Tres proprietates hæreſeôs enumerat Corn: à Lap: *1ma.* Quod ſit varia & in multas ſectas abit, nam, ut ait D. Thomas, veritas conſiſtit in medio, quaſi in centro, unde ad circumferenti-

am

peregrina, facileq; incautos omni ventô verſatiliores abducat, vis formæ ſyllogiſandi, tanquam aptiſſimum quærendæ, vel propugnandæ veritatis inſtrumentum perſpicuè, & nervoſè latentem veritatem, vel falſitatem apertiorem reddit, dein, prolixiore ſermone elabentem veritatem filô ductili conſtringit, & evadere difficultatem adverſarium cupientem, ut eam advertat, deguſtet, comminuat: cogat, & ſolicitet.

Q. XX. *An in exemplis dicta elucere poſſint?*

℟. Sic Auguſtinus (x) clarè probavit reſurrectionem mortuorum: *Si non eſt reſurrectio mortuorum, neque CHRISTUS ſurrexit, CHRISTUS autem ſurrexit, eſt igitur reſurrectio mortuorum.* Sic, quidam Societatis JESU, Aulæ Illuſtriſſimi Działynii, Palatini Culmenſis Theologus, Miniſtrellum hæreticum adortus, ex ſacra ſcriptura omnia ſibi probari, & refelli conclamantē: *Si o-*

àm multìs viîs, & lineîs abitur, quàm ergo ſunt variæ lineæ à centro ad circumferentiam, tam variîs modîs â veritate ad errores, & hæreſes abitur & deviatur. *2da.* Quòd ſit peregrina, extranea, abhorrens à ſchola veritatis, & doctrina Eccleſiæ, quia aliunde importata eſt, & à Philoſophis aliiſq; curioſis hominibus diabolo ſuggerente confictâ. *3tia.* Suos abducit ut omni ventô doctrinæ circumferantur.

(x3) *Lib. 2. c. 32. de doctr.*

Si omnia quæ ſunt de fide probari vis ex ſacra ſcriptura, tunc ſacram ſcripturam eſſe ſcripturam probandum tibi eſſet ex ſacra ſcriptura, ſed ſacram ſcripturam non probas, nec probare potes ex ſacra ſcriptura, quæſtio enim eadem recideret, & onus probandi eandem ſacram ſcripturam, ut ſacra ſcriptura eſſe evincatur ex alio textu ſcripturæ, ergo non omnia, quæ ſunt de fide, probanda ſunt ex ſacra ſcriptura. Hæc eſt itaque ratio, cur magnus Indiarum Apoſtolus Xaverius, ſupplicaret ex Japonia Ignatio, ut ſibi præſtantes mitteret Dialecticos, ad confutandos Japones, & Sinenſes.

Q. XXI. *An eadem vis argumentandi hæreticorum præcavenda in Catholicis?*

℞. Ut plurimùm hæretici iis armîs ſpoliare fidem noſtram conſpirârunt, quibûs nos aggrediuntur, ut imbellem, ſuiſque ſpiculîs faciliùs expoſitam generoſiùs confoderent. Vexant ignorantiæ probrô Catholicos, ut fallaciarum ſuarum velamen, ab imperitia Catholicorum mutuentur. Quantum robur inveniet, illa argumentatio hodiernis temporibûs Lutheranorum, viſibilem Eccleſiam impugnantium. *Quod eſt viſibile non creditur fide Divina, cum fides ſit credere, quod non vides,* ſed *Eccleſia creditur fide Divina.* Ergo *Eccleſia non eſt viſibilis.* Quantum eorum apud Bellarminum

(y3) Cor-

(y3) Corpus CHRISTI, cùm ſubſtantia panis commiſcentium, paritate ducta ab Incarnatione: *CHRISTUS eſt factus, Homo*, ſinè deſtructione naturæ humanæ, igitur & Verbum fit panis, non deſtructâ ſubſtantiâ panis, cum utrobique eodem modo videtur loqui ſcriptura: *Verbum Caro factum eſt. Panis quem ego dabo, Caro mea eſt.* Recentioris Philoſophiæ buccinatores, quibûs armîs conflictum cum acatholicis adornabunt? quomodo invitabunt, & admittent Dialecticam ad reponendum acatholicis, quam turpiùs ejecerunt? Nodũ ne dicam Gordium feliciùs Ariſtotelis diſcipuli reſcindent, recentior Philoſophia quo acutioris ſuæ Dialecticæ tentamine ſeparabit?

Q. XXII. *Recentior Philoſophia nunquid tam inermis, ut acatholicos profligare non valeat?*

℞. Quibûs Caſtris? Atomorum mole obruet adverſam aciem? Politica Philoſophiæ tractatione, è voluptuoſo Epicuri cœno promanante, barbarum hoſtem expugnabit? Novitate, antiquis Philoſophis exoſa, ſcientiarum pacem hactenus amicam; reſcindente, conturbabit, confundet Novatores? Eliminatum ex ſcholis Angelicũ Doctorem, opponet Magiſtrellis vanitatis,

(y3) *Lib. 3. c. 11. de Sacra Euchar.*

tis, quorum ea gloria, nullis cedere viribus veritatis.

Q. XXIII. *An habeat mumimen veritas Catholica, ex recentiorum Philoſophia?*

℞. Habet, quo ſe munitam inexpugnabilem efficiat. Conteret Calvinum ſubſtantiam panis in Euchariſtia, excluſâ ſubſtantiâ Corporis CHRISTI aſſerentem: explanatione Corporis trina dimenſione cōmenſurati: *Ubi non datur trina dimenſio Corporis CHRISTI, non datur Corpus CHRISTI, ſed in Euchariſtia non datur trina dimenſio Corporis CHRISTI.* Ergo in Euchariſtia non datur Corpus CHRISTI. Vel *ubi datur trina dimenſio panis, datur Corpus panis, ſed in Euchariſtia, datur trina dimenſio panis,* ergo in Euchariſtia datur Copus panis. Unde, ex vero apud recentiores evidenter, ſequitur falſum, ſcilicet, in Euchariſtia datur trina dimenſio panis, ut concedunt; ergo calamitoſi homines annuere debent dari ſubſtantiam panis. Quid cōtra fidem, & rationem non inferri recentioribus poſſit? ad quæ abſurda facilè non impellentur? quæ eructante licèt ſtomacho non devorabunt facilè?

Q. XXIV. *Quod abſurdum palmare devorare cogentur?*

℞. Mitto cætera: ſubſtantiam v. g. *lapidis, arboris*, inſtitutam eſſe pro materia Sacra-

Sacramenti Euchariſtiæ. Abſit clamabis! aut potiùs amica pacis & modeſtiæ Philoſophiæ recentioris commendatione ſvaviſſimè reſpirabis! in aperto repugnat fidei Catholicæ aſſertum. At, urgebit dictum, nō nemo? Serenam frontem in rugas, & tacitum furorem contrahes? Importunus ille, imbellem iram contemnet; & premet: *Panem & vinum ſubſtantialiter ſtatuit CHRISTUS Dominus, pro materia Sacramenti Euchariſtiæ, ſed lapis, arbor, & alia ſubſtantia, ſunt ſubſtantialiter panis & vinum*, igitur, *hæc CHRISTUS Dominus ſtatuit pro materia Sacramenti*: minorem probabit: *lapis, arbor, &c.* ejuſdem ſunt ſubſtantiæ, & ſpeciei cum *pane vino*, adeoq; eandem denominationem participant: ſicut, cum Alexander Magnus, & Philippus ejus Genitor ejuſdem ſunt ſubſtantiæ & ſpeciei, uterque eſt ſubſtantialiter homo. Niſum facies ad reſpondendū, ſed intercipiet luctantem cum verbis adverſarius: Panem, & vinum eſſe ejuſdem ſubſtantiæ, & eodem argumento extorquere à te conabitur veritatem. Cogita, præcludendo viam novo molimini, excitādæ hæreſeôs, quæ æquè panem ac vinum conficiendo Corpori Chriſti Domini, idoneum comminiſceretur.

Q. XXV. *Quæ victoria recentioris Philoſophiæ, ex profligatis heterodoxorum erroribus?*

R.

℞. Cũ plura, & majora proferre pro Ariſtotelicæ Philoſophiæ utilitate, ad evellendos errores heterodoxorum, magnitudo rei, & materiæ, anguſtiori limite coarctata prohibeat, in compendio ſatìs; Recentior Philoſophia evigilat, tremite hoſtes Eccleſiæ! aſſurgit, fugite hæreſes! perſonat, ſilete veteres! imperium nonnullarum ſcholarum capeſſit, cedite Auguſtine, & Thoma! Jacebunt profligata Lutheri ſtupra! concident Calvini deliria! exanimabuntur Græcorum Schiſmata! ruent verſutiſſimæ acatholicorum fallaciæ! recentioris Philoſophiæ cumulata religione, ſuffulta famâ, firmata clypeô, triumphat Eccleſia.

Q. XXVI. *An bene rei Catholicæ conſuluerint, qui Ariſtoteli, & Divo Thomæ renunciàrint recentiorum gremio annumerati?*

℞. Judicent ipſi, in tanta Philoſophãdi novitate & varietate veteri ſcopulo affixum eſſe, num non expediet? cùm receditur à veteribus, novitatis ſtudiô, & veteris gloriæ deperditur claritas, & novæ, ægrè comparatur, non conſtantibus ſibi deſideriîs commendatio. Gratulare tibi Catholica Religio, novos doctrinæ tuæ defenſores. Ariſtoteles Lutheri ſententiâ damnatur, *Studiô Thomæ*(ut ipſe ajebat) (z3)*elevatus regnat*, nunc armîs quorundam viſco-

ſè re

(z3) *In l. contra Cath.*

ſè recentiorum ſectæ adhærentium debellatus, extra caſtra ſcientiarum ejectus. Quis tibi feſtivo non applaudet officio? Thomas, qui ſolus *Ariſtotelicissimus, & planè Ariſtoteles ipſe*, (a) (Lutheri ſunt verba,) ſtudiô veritatis, & teneriori amore Recentioris Philoſophiæ, è ſchola olim Thomiſtarum expunctus, & qui ſe jactantiùs profitebantur Thomiſtas, nunc Carteſiani; Elementarii, & ut à Thoma, & à Thomiſtis clariùs originem ſuæ ſcientiæ ſortirentur, Atomiſtæ dici voluerunt.

Ad convincendos Atheos utilis Ariſtotelica Philoſophia.

Q. I. *In Orthodoxo Poloniæ Regno, num reperiantur Athei?*

℞. Nuſquam in aperto invenies. Verùmtamen Africæ monſtrîs immanius portentû erupit in Polonia A. 1688. Nobili genere ortus Łyſzczynius, qui ad eam prolapſus inſaniam, ut inſipiens, corde, & ore DEUM non eſſe, fateretur. Univerſa Reſpublica ad Comitia Varſaviæ congregata, debitam tanto facinori injunxit pœnam, quàm atrociorem

(a) *Eodem libro.*

ciorem ſubiiſſet, niſi converſione ad DEUM, multis diſputationibûs extorta, zelô veri Numinis ferventes Procerum animos, ad clementiam flexiſſet.

Q. II. *Quomodo Atheì inducendi ad Dei agnitionem?*

℞. Cum ſubtilioribus ſubtilî argumentô certandum. *imò*. demonſtrando ex Philoſophia Peripatetica, nihil poſſè eſſe cauſam ſuì ipſius, quò ad primò eſſe naturæ. *2dò*. Poſſe dari proceſſum in infinitum, in cauſis ſecundîs creatîs, ità tamen, ut ad cauſam primam, cujus,collectio infinita foret effectus, deveniatur. *3tiò*. Demonſtrationes tum ex Ariſtotele in Theologia naturali, tum in ſcholis Peripateticis prælegi ſolitæ referantur. *4tò*. Ex contradictorio uno etiam falſo, ut tali apud Catholicos, ab Atheo recepto, ut vero, poſitivè directè inferendo aliud, premens Atheum.

Q. III. *Ultima demonſtratio videtur eſſe inſolita?*

℞. Hanc demonſtrationem, & argumẽtandi modum Clavius vocat: *mirabilem*, ſequente exemplo apud Ariſtotelem, & Archimedem illuſtratum. Exemplum eſt hydroſtaticum: *An maris ſuperficies eſt ſphærica*.

Sit ità: *maris ſuperficies, non eſt ſphærica.*

Ergo: *omnes illius partes non diſtant æqualiter à centro.* Ergo

Ergo: *prima eſt altior alterâ.*

Ergo: *altiores defluunt versùs decliviores; hæc enim eſt humidi natura.*

Ergo: *omnes ſunt æquè altæ.*

Ergo: *æqualiter diſtant, à centro.*

Ergo: *ſuperficies eſt ſphærica, quod erat domonſtrandum.*

Q. IV. *Quomodo Atheus ſimili argumentandi modô convinci poteſt?*

℟. Tria exempla Theologica mirabilia, ex Antonio Perez S. J. cognomentô *admirabilis Theologus* eruta; annecto.

I.

Dicit Atheus: *ens optimum non exiſtit.* Sit ità: *ens optimum non exiſtit.*

Ergo: *maximè non exiſtit;* ideo enim ens optimum non exiſtit juxta te, quia dicis, ens optimum eſſe chymæram.

Ergo: *neceſſariò non exiſtit;* hoc enim eſt maximè non exiſtere.

Ergo: *datur neceſſitas non exiſtentiæ illius, & neceſſariò datur.*

Ergo: *datur aliquid, quod neceſſariò exiſtit;* neceſſariò enim dari neceſſitatem illius exiſtentiæ, eſt neceſſitatem illius non exiſtentiæ neceſſariò exiſtere.

Ergo: *datur aliquid, quod caret omni defectu;* illud enim, quod neceſſariò exiſtit; ſeu; quod eſt ens neceſſarium, eſt ens carens omni defectu.

Ergo: *datur ens optimum*; idem enim eſt ens optimum, & ens carens omni defectu, quod erat demonſtrandum.

II.

Dicit Atheus: *non datur ens neceſſarium.* Sit ità: *non datur ens neceſſarium.*

Ergo: *neceſſariò non datur.*

Ergo: *datur neceſſitas, ut ens neceſſarium non detur.*

Ergo: *datur aliquid neceſſariò, ut ens neceſſarium non detur; cùm illa ipſa neceſſitas detur, ut ens neceſſarium non detur.*

Ergo: *datur ens neceſſarium;* cùm ens neceſſarium nihil aliud ſit, quàm aliquid, quod neceſſariò datur.

III.

Dicit Atheus: *non datur DEUS.* Sic argumentor: Sit ità: *non datur DEUS.*

Ergo. *hæc propoſitio vera eſt, non datur DEUS.*

Ergo: *datur hæc veritas, non datur DEUS.*

Ergo: *cùm hæc veritas detur; vel datur contingenter, vel neceſſariò: non contingenter, ut patet:* Ergo: *datur neceſſariò hæc veritas.*

Ergo: *hæc veritas eſt ens neceſſarium.*

Ergo: *datur DEUS, quod erat demonſtrandum.*

Q. V. *Affer ſubtilem, & ſolidam demonſtra-*

monſtrationem DEI, ex Philoſophia Ariſtotelica petitam?

℞. Plures ejuſmodi afferuntur: unicam P. Perez, à priori per prædicata primò eſſentialia affero. Eſſe chymæram non eſt bonum; ſed carere omni defectu, eſt bonum; ergo carere omni defectu, non eſt chymæra. Ergo carere omni defectu eſt poſſibile. Ergo carere omni defectu, eſt exiſtere; ſi enim non exiſteret, non careret omni defectu, ſiquidem non exiſtere, eſt defectus. Sed DEUS, eſt carens omni defectu. Ergo DEUS eſt exiſtens.

Q. VI. *Quæ præ cæteris demonſtrationibus DEI; eſt magis efficax ad convincendum Atheum?*

℞. Argumentum morale per dilemma: Vel *DEUS datur, vel non datur: Si datur, & tu infelix Athee pervicacî judiciô, ſubtrahis exiſtentiam illius, vindex ſcelerum pervicaciam tuam damnabit, & in æternum miſer eris. Si nō datur, & tu ſubſcribes exiſtentiæ illius, quis te falſi arguet? quis puniet?* Tutiùs tibi profitendum exiſtere DEUM.

Q. VII. *Recentior Philoſophia quo mucrone jugularet Athei perfidiam?*

℞. Dilemmata, ſyllogiſmos, ſubtiliores argumentandi vias, tanquam ingenii tormenta, & nugas Peripateticorum mulctavit, quod in arcano profundiſſimæ ſuæ ſci-

entiæ, habebit conſilium adversùs Atheũ, omnia perperam argutè evadere ſibi plaudentem? Quô telô acutiori feriendũ conſentiet? Profligabunt Atheiſmum confixæ ſuperiùs Carteſianæ Philoſophiæ dogmata? Recentiori Philoſophia expolitum Atheum cum Benedicto Spinoſa, de omnibus rebus debere dubitari, atque de exiſtentia DEI, ut veritatem aſſequamur, obteret inſanum inquirendæ veritatis criterium?

§ 3tius.

De utilitate Ariſtotelicæ Philoſophiæ ad promovendum; & defendendum Honorem, intaminatæ VIRGINIS Sanctiſſimæ.

Q. I. *Quanto zelô conſtet inviolatæ MATRIS Sanctiſſimæ puritas?*

℞. Illiùs tuendæ, & propagandæ arſerunt pluſquam viginti Romani Pontifices, * omnia Regna, & Imperia Catholica, omnes Univerſitates, Academiæ, Scholæ, Docto-

---

* Gregorius XV. in Bulla, quæ incipit: *Sanctiſſimus Dominus &c.* 1622. conceſſit, B.V.M. Immaculatè Conceptam licere publicè, ſive in lectionibus, ſive in Concionibus, ſive in Diſputationibus, aliiſq; actibus publicis docere directè, probare, ac confirmare.

Doctores, omnes fere Religiones, fidelium Cætus, Congregationes.

Q. II. *Regnum Poloniæ, quàm honori puriſſimo Virginis MARIÆ addictum?*

℟. Pietas erga MATREM Sanctiſſimam Polonis innata, tenerrima, eximio amore illuſtris. Hæc in Templis, Aris, Imaginibus colitur, in Procerum & Magnatum præcordiis unicè amplificatur, in Scholarum cætibus Marianis propagatur, in Juvenum animis à teneris radicatur. Hanc Reges * ſibi vendicant, Senatus repetit, Curiæ Judicum, & Advocatorum ** unicè ſuo muneri propriam amplectuntur. Liberum Regnum MARIAM Reginæ Poloniæ titulô *** ornari cupientem, nulli ſervitutis jugo obnoxiam, devotione, liberalitate, ſangvine etiam propugnat.

Q. III. *Quomodo Ariſtotelis Philoſophia, honori Immaculatè Conceptæ, inſervire poteſt?*

℟. Artem univerſalem ſciendi & diſſerendi, ex Philoſophia Ariſtotelis proponunt

* Sigiſmundus Auguſtus, Inſignia Immaculatæ Conceptionis B.V.M. primus inter Proceres Regni diſtribuit. ** Congregatio Advocatorum, ſub titulo Immaculatæ Conceptionis, A. 1748. Lublini ingente zelo, pietate aperta. *** Julio Mancinello B.V, apparet: *Cur me non vocas Reginam Poloniæ,* his verbîs alloquens.

n..nt nonnulli. * Cujus adjumentô in omni materia, de omni re ſapienter diſcurri, diſputari poſſe demonſtrant. Huic arti methodus Analytica, ſeu Reſolutoria, & Synthetica, ſeu compoſitoria, admodū ſubſervit. Exemplum ſit *B. VIRGO ſinè labe Concepta:*

Reſolutio.

Sit ità: *Beatiſſima VIRGO, eſt ſine labe Concepta.*

Ergo. *Beatiſſima VIRGO, eſt immunis ab omni peccato.*

Ergo: *Immunis à peccato originali, mortali, veniali.*

Ergo: *placuit ſemper DEO.*

Ergo: *digna fuit ſemper eſſe MATER DEI.*

Inventa veritate regredior.

Compoſitio.

Certum eſt Beatiſſimam Virginem dignā ſemper fuiſſe, ut eſſet MATER Dei; DEUS enim indignam non elegiſſet.

Ergo: *placuit ſemper DEO.*

Ergo: *immunis à peccato originali, mortali, & veniali.*

Ergo: *ab omni peccato.*

Ergo *eſt ſine labe concepta.*

Q.IV.

---

* P. Kircher, P. Knittel de hac arte diſcurrunt.

Q. IV. *Ad laudandam VIRGINEM, quos fontes Philoſophia Ariſtotelis ſuppeditat?*

℞. Decem prædicamenta, quæ præ oculis habe: *ımum* prædicamentum: *Subſtantiæ*: & oſtende, quam Beatiſſima VIRGO, Sanctam Animam fuerit ſortita, & omni perfectione colluſtratam, *In Beata VIRGINE apparere debuit omne illud, quod perfectionis fuit.* S. Thomas. (*b*) *Quantitatis*: *Magnitudo Virginis, tanta eſt, ut ſicut* Damian: (*c*) ait: *quid quid majus eſt, minùs eſt VIRGINE, ſolusq; opifex opus iſtud ſupergreditur.*

Qualitatis. *Qualis fuit filius omnia filii poſſidere debuit Mater*, ut Dam: (*d*) *oportebat Dei MATREM, ea, quæ filii erant poſſidere.*

Relationis. Beata VIRGO ſimilitudine, & habitudine ad DEUM conjuncta principio gratiæ, ut Divus Thomas: (*e*) *Maximè participavit gratiam, ut propinquiſſima principio gratiæ.*

Actionis. *Meritorum verticem uſque ad ſolium Divinitatis evexit.* S.Greg:

Paſſionis. *Non ſuſtinebat juſtitia, ut illud Vas electionis communibus laſſaretur injuriis, quoniam cæteris plurimum differens, naturâ communicabat, non culpâ.* S.Cypr:

Ubi.

(*b*) *in 4to. diſt. q.2. a,1.* (*c*) *Serm. de* Nativ. *V.*
(*d*) *Orat. de Aſſumpt.* (*e*) *3. p. q. 27. a. 2. ad 2.*

Ubi. Beata VIRGO, *eſt Nubes diei, quia non fuit in tenebris, ſed ſemper in luce.* S.Hierony:(*f*)

Situs. Lex carnis Virginem non infeſtavit, nullaq; rebellio, affixit ſpiritus quietem. S.Cyprian: (*g*)

Habitus. Beatiſſimam VIRGINEM, in prima ſanctificatione, in Dei gloriam obtutum, defixiſſe docent plurimi Patres, inter quos S.Petrus Damia: Antoninus &c. Bernard:](*h*) Jure MARIAM ſole profitemur amicta, quæ profundiſſimam Divinæ Sapientiæ penetravit abyſſum.

Q. V. *Vis ſyllogiſtica quantùm roboris conferat, ad propugnandam Immaculatam Conceptionem?*

℞. Teſtis Subtilis Scotus, vindex immunitatis MARIÆ, Doctor abhinc Marianus, qui ſupra ducenta argumenta diſſipavit, in Academia Pariſienſi, contra puriſſimum Conceptum MARIÆ, maculamq; nativæ Virginis Sanctiſſimæ puritati inuſtam delevit; multò plura pro Virginis Sanctiſſimæ immunitate congeſſit, illiſq; adverſariorum conatus obtrivit. Illud celeberrimum præ cæteris: *potuit, voluit,* ergo *fecit.*

Q. VI. *Quod præcipuum argumentum, pro immunitate* VIRGINIS *Sanctiſſimæ?*

℞.

(*f*) *In Pſal.* 77. (*g*) *Serm. de Nativ. c.2.*
(*h*) *De Verb. Apoc:*

℞. *Non celebratur feſtum in Eccleſia, niſi pro aliquo Sancto.* Major eſt Divi Thomæ (*i*) volentis Divinam MATREM, in ſua Nativitate Sanctam fuiſſe, eò, quòd Eccleſia Nativitatis ejus Feſtum celebraret. Progredior: ſed *Sancta Romana Eccleſia, Feſtô ſolenni celebrat Beatiſſimã VIRGINEM, non in momento aliquo primam ejus Conceptionem conſequente,* ut volunt nonnulli, ſed *præveniente Spiritûs Sancti gratia à peccato originali præſervatam*: minor, continet verba decreti Alexandri VII. Annô 1661. Ergo: *Beatiſſima VIRGO fuit in Sanctiſſima ſua Conceptione, non ab originali jam contracto, veluti conſequente Spiritûs Sancti gratia protinùs liberata,* ſed, ut loquitur Summus Pontifex, *præveniente Spiritûs Sancti gratia, à peccato originali præſervata.*

Q. VII. *Hæretici Immaculatæ Virginis puritatem oppugnantes, quô telô confixi.*

℞. Circa Annum 1732. Gedani in Gymnaſio Lutheranorum, publica diſputatio indicta, Theſes expoſitæ, hoſpites florentiſſima Urbe confluentes invitati. Ultra ſpem Patres Societatis JESU, adeſſe voluit diſputandi triumpho Cætus Academicus, lacerationem forſan famæ, & cladem Præceptoris ſibi inviſi, adornans. Contentio impetendi vendicabat, materiam originali puritati

(*i*) *3. par. quæſt. 27.*

ritati Matris Sanctiſſimæ inimicam. Finis diſputationis à DD. Lutheranis anteceptæ approperat. Humanitate Conſulum Gedanenſium, theatrum conſpectu ſuo colluſtrantium ad proponenda argumenta, tertio locô (moris eſt ejus Gymnaſii exterorum ritum conſectantis) invitantur Patres. Deprecantur contentionis officium, pacis & amicitiæ gratiâ, læſæ tamen puritatis MARIÆ adiguntur calcaribûs. Verùm urgente Magiſtratu phalerato congreſſu Civitatis ſtipato, morem gerunt. Ambo Philoſophiæ Profeſſores imparata jacula emittunt, primuſq; eum, qui Theſibus præerat unico fere argumentô conficit. *Quod non eſt clarè & expreſſe contra ſacram ſcripturam, eſt tenendum, ſed Beatam VIRGINEM ſine labe Conceptam eſſe, non eſt clarè, & expreſſè contra Scripturam ſacram*, ergo: eſt tenendum Immaculatè Conceptam &c. ex adverſo, *Quod non poteſt clarè, & expreſſe ex ſacra ſcriptura convinci, non eſt admittendum, ſed Beatam Virginem in labe originali Conceptam, non poteſt clarè, & expreſſe ex ſacra Scriptura convinci; adferatur enim;* Urget oppugnans unicus textus ſacræ Scripturæ clarè & expreſſè impugnans. Ergo: *non eſt tenendum &c:* Alter Profeſſor, tumido faſtu ventoſum olim, multùm jam pallente vultu confuſum aggreditur;

ditur: alteram Theſim impugnaturus his verbîs exhibitam: *Quid mihi & tibi mulier; ſollicitudinem vitioſam Matris ſuæ, redargutam fuiſſe à CHRISTO.* Aſſumitq; à pari; verba Matris Beatæ: *Fili vinum non habent?* Uitioſæ ſollicitudinis non eſſe indicia, cum ſimilia verba CHRISTI: *Philippe, unde ememus panem?* vitioſam non redoleant. Nihilq: reſponſi auditum, præter aſperè eliſas voces, truncata verba, aridamq; illam, & cachinnîs ſcholarum exploſam reſponſionem, hoc eſſe aliud, illud aliud. Abrupta diſputationis ſeries, Doctor Lutheranus vindictæ Marianæ exemplum maligna febri exarſit, tertio à diſputatione die, integræ urbi, calamitoſa, per Anglos & Batavos exteraſq; plagas divulgata, miſerè extinctus, Rarò inultum crimen, im̃unitati Matris Sanctiſſimæ, obmurmurans ſerpit, nec tardo pede progreditur vindicta, quam injuria puritatis MARIÆ, exaſperavit. Ità honorem læſum non repetet filius? ignominiam procacem diſcrimine famæ non retundet?

Q. VIII. *An pium ſit dare operam Philoſophiæ, ad honorem VIRGINIS defendendum?*

℞. Pium eſſe & perplacens monſtravit Beatiſſima, Divo Thomæ, Alberto Magno, Suarez, Sanchez, aliiſq; & miram eis

ſapien-

ſapientiam impetravit, & eorum ſtudia honori ſuo, glorioſa probavit. VIRGO ſapiens, * Incarnatæ Sapientiæ MATER, ſapientes ſui cultores honore & amore proſequitur.

Q. IX. *Recentior Philoſophia honori MATRIS Sanctiſſimæ an ſit injurioſa?*

℞. Plurimùm. Percurrite inter dogmata recentioris Philoſophiæ, veritatis inveniendæ medium; *de omnibus dubitare: omnia negare*, igitur, & Conceptionem intaminatam, & Maternitatem puriſſimam VIRGINIS Sanctiſſimæ? *Illud eſſe verùm quod clarè, & diſtinctè percipitur:* quis clarè & diſtinctè ſenſuum adminiculó ſanctitatem, puritatem, merita, gloriam B.V. in cœlo percepiſſe ſe confidenter declaravit? *Non omnes animas rationales, ejuſdem perfectionis edocet recentior Philoſophia*, ſicque rudiorum animam à ſapientioribus perfectiori virtute differre? Anima Beatiſſimæ VIRGINIS, ab Anima CHRISTI D. diſcrimen perfectionis eſſentialis habebit? cum Filius, DEUS Homo, longè perfectior, ſapientior ſit Matre. Sit ſanè: ut volunt recentiores. CHRI-

---

* Chriſt: de Vega Paleſt. 14 docet in inſtanti Conceptionis omnem ſcientiam naturalem, per accidens B. VIRGINI fuiſſe infuſam, nempè Grammaticam, Rhetoricam, Pòëticam, Logicam, Phyſicam, Metaphyſicam; ſicut juxta D. Thomam, Adamo fuit infuſa.

CHRISTUS D. non invenietur habitu inventus ut homo, nec *Filius hominis*, ejuſdem nobiſcum naturæ, & cum Matre ſua nuncupabitur. Annuite recentioribus: *penetratio corporum contradictionem involvit.* Verùm excluſa è numero rerum poſſibilium corporum penetratione, annon VIRGINIS Sanctiſſimæ integritas, naſcente Filio excluderetur? Itane qui reparare venit corrupta, paſſus eſt violare integra?

§ 4tus.

De utilitate Ariſtotelicæ Philoſophiæ in Eloquentiæ, & Advocatorum Paleſtra in Polonia florentiſſima.

Q. I. *Quæ præ cæteris ſcientiis Polonis familiaris?*

℞. Eloquentia: Hæc enim ſedem & Athenas * nacta in Polonia, naturæ & ingenii viribûs efferveſcit, artis præceptionibûs continetur, uſu, & exercitatione clariſſimorum Rhetorum, & Oratorum eluceſcit.

Q. II.

* Cicero in Bruto ait: *Eloquentiam ab Atheni-enſibus ortam.*

Q. II. *Quis uſus, & praxis Eloquentiæ in Polonia?*

℞. In Senatu, in Comitiis, in Curia, Caſtris, in Legationibus publicis, in Sacris, & profanis exedris, in Oratorum libris, Familiarum feſtivis laudationibus &c.

Q. III. *Quotuplex eloquentia regnet in Polonia?*

℞. Duplex: *Divina* & *humana*. *Divina*; Divino Spiritu incitata Sanctis Patribus, Sacris Oratoribus commendatiſſima. *Humana*; optimo dicendi genere fæcundata, plena ſucci & venuſtatis, qualis fuit in Cicerone & Demoſthene. *Humana*; in Epidicticam, ſeu demonſtrativam, & Civilem arctiùs dividenda. Epidictica ſeu demonſtrativa, à forenſi dicendi forma aliena, quaſi ad inſpiciendum delectationis cauſâ comparata, * qualis fuit Platonis & Iſocratis. ** Civilis Eloquentiæ duo ſunt brachia, quorum alterum in ſvaſionibus & diſſvaſionibus viet, alterum in controverſiis, & judiciis ſe prrmitnberiùs.

Q. IV. *Quæ ſunt artis Oratoriæ adjumenta?*

℞. Omnia fere ex Dialectica circumfluente

---

* Ciceronis de Epidictico, genere judicium.

** quæ juxta Cauſſuum *l.10. de Eloq.* præcepta ſapientiæ, & virtutis, amabili flore Orationis complexa, quo nihil ad egregias mentes oblectandas arbitror potentius.

fluente Ariſtotelis ingenio, & labore. *
Hæ enim ſcientiæ finitimæ ſibi, & conjunctiſſimæ, mutuo laudibus ſuis ſuffragantur, unaq; alteri lumen communicat. Hinc quicunque olim celebrabantur Philoſophi, Eloquentiæ gloriâ abrepti, ad Oratorum confugiebant amænius forum, qui Oratores, à Philoſophorum documentis dulciori amne fluentes, orationis fundum petiiſſe. **

Q. V. *Quo differat Rhetorica à Philoſophia?*

℞. Philoſophus ad ſe, Rhetor ad alios, ait Auguſtinus, attamen utramq; eſſe *ad ſe*, vis interna ratiocinandi quæ ſenſum, & ſententiam animi procudit, ut, quô ad alios officiô lingvæ internus animi cogitatus, in pectora audientium influat. Oratoris & Philoſophi eadem materia, ſcilicet omnes res, idem finis, veritatem perſvadere, ijdem fontes quibûs ratio veritatē propellens diffunditur in animos. Philoſoph9 tamen brevior verbîs, Rhetor profuſus, hic exundans ſtylô, ille conciſus, Philoſophus preſſiùs & anguſtiùs, Orator fuſiùs, & ornatiùs

* Dialecticæ, quaſi ex altera parte oratoria vis dicendi adhibetur, explicatix orationis perpetuæ, ad perſvadendum accommodatæ. *Cic. Acad. q. c. 8.* ** Iſocrates primus cæpit molliori-bûs numerîs explere ſententias, & aurea Philoſophiæ documenta delicatiſſimæ orationis, intexere floribûs. *Ex Cauſ. l. 1. de vet. Eloq.*

natiùs dicit. Quare, Rhetorica expanſæ manui, Philoſophia in pugnam contractæ comparatur, * maximè quod ars dicendi ab arte differendi longiore verborum circuitu figurarum troporumq; ſchematibûs, & parergis deſcrepent, verbô. Rhetorica oratio eſt continua, Philoſophica; inter rogantem & reſpondentem ſciſſa, hocque uno differunt, (ut Ariſt:) quòd hæc ratio dicendi latior ſit: illa loquendi contractior.

Q. VI. *Cur Philoſophia Rhetoricæ ſubſerviat, imò illius ſit fundamentum?*

℞. Cum ea nos lege natura prætexuit, ut: à brutis, rationis & dicendi conſvetudine ſecerneremur, Philoſophia itaque hanc primam ingenii noſtri portionem, nobis benignè largitur, uberiùs in nobis à Philoſophiæ; præſertim Dialecticæ profluviis dimanantem, eloquentia, poſt rudiores à Grammatica ſermocinandi proceſſus, elegante verborum ſententiarum temperie lingvam, ac pectus imbuit. Non immeritò, itaque præclariſſimus Orator Perpinianus, (*k*) cenſuit: *Dialecticam omnium artium comitem, & adminiſtram omnibûs aliîs antecedere debere, excepta una arte ſermonis.*

Q. VII.

---

* Zeno Rhetoricam palmæ, Dialecticam pugno ſimilem dicebat, quod latiùs loquerentur Rhetores, Dialectici autem compreſſiùs. *Cic. l. 2. de fin:*

(*k*) O " *6. de arte. Rhet. addiſcenda.*

Q. VII. *Quid Rhetorica, cum Dialectica commune participet?*

R. Cauſas, & firmamenta dicendi in locis intrinſecis, & extrinſecis, in Dialectica recondita.

Q. VIII. *Quos locos intrinſecos communicat Dialectica Rhetoricæ?*

R. Loci intrinſeci dicuntur *fontes oratorii, communes notæ, ſedes argumentorum*, unde petuntur rationes, & robur dicendorum. Horum alii ſunt interni, alii externi: interni; ſunt in rei ſubſtantia, ut, *Definitio, Genus, Differentia, Species, partium primarum enumeratio, conjugata*, alii externi, & valde neceſſarii, ut, *Cauſa finalis, efficiens, &c. & effecta*, alii externi appliciti, ut *notatio nominis, adjuncta, contraria, repugnantia, ſimilia, relata, repugnantia*; inde ſexdecim loci communes colliguntur.

Q. IX. *Quos extrinſecos?*

R. Leges, tabulas, præjudicia, tormenta, famam, quæ omnia cum probabilitatis * augeant fulcimenta, Dialecticis & orato-

I ribus

---

* Probabile; inquit *Cic. l. 1. de Inv. c. 29.* quod ferè fieri ſolet, aut, quod in opinione poſitum eſt, aut, quod habet ad hæc quandam ſimilitudinem, ſive id falſum ſit, ſive verum. Juxta *Ariſt. l. 1. Top.* Probabile eſt: quod probatur omnibus, vel pluribus, vel ſapientibus, hiſq; vel omnibus, vel pluribus, vel maximè notis, & illuſtribus.

ribus vinculô amicitiæ, & mutui adjumenti vim probandi impertiunt, ac ad Logicā, Topicam, referuntur.

Q. X. *Præter hæc quid communicet?*

R. Id; quod corpus Rhetoricæ conſtituit, ſcilicet inventionem, diſpoſitionem, & elocutionem. Rectè monet ad propoſitum noſtrum, Oratorum Eruditiſſimus Perpinianus: *Rhetoricam inventionem, & ſingulorum argumentorum diſpoſitionem, cum ſint magna ex parte propriè Dialecticorum; ejus artis ignaris rectè tradi non poſſe.*

Q. XI. *Quomodo inventio Oratoria à Dialectica communicatur?*

R. Inventio oratoria, ex locis enumeratis recluſa facilè propoſitæ quæſtionis vim, & fulcimenta ſuppeditabit. Plurimi ſcopum optimum dicendi collineare videbuntur, materiamq; gravem, perſpicuam, loco, tempori, perſonis, accommodatā complecti, ſed cum non ſatis imperitiâ ſedis argumentorum res diſtingvere, & diſcriminare, rationibûs veluti fulcrîs ſolidare valēt, *in varias ineptias*, ut loquitur Cauſinus Regum Galliæ Rhetor, & Orator, *incidunt*, & cum deſtinata ad dicendum materia, res varias eaſq; diſcrepantes commiſcent, aut exſangvi tumore verborum, ſenſuumq; frigidorum, plenam proferunt dictionem, aut arenam ſinè calce.

Q. XII.

Q. XII. *Quomodo diſpoſitio?*

℞. Diſpoſitio à Dialecticis, vulgò in tria genera dividitur; una dicitur *naturalis*, altera *arbitraria*, tertia *artificialis*. Ariſtoteles in Logicis triplicem artificioſæ diſpoſitionis, notat ſpeciem: una eſt *Analytica*, ſeu reſolutiva; cum *1mò.* à toto ad partes fit proceſſus, *v.g.* ab homine ad ejus partes. *2dò.* cum in partes generis fit gradatio, ut ſi quis de tota Philoſophia primùm dicat: deinde ſingulas ejus partes diſcutiat. *3tiò:* cum propoſitio in principia reſolvitur; ut ſi dicam, danda opera Philoſophiæ, quia honeſtus eſt labor, eſt honeſtus, quia cum utilitate conjunctus. *4tò.* Cùm à fine ad media regreſſus, per ſimilem gradationem inſtituitur, ut; ſi quis prævideat Philoſophiæ finem eſſe, intelligentiam & intelligentiam non poſſe eſſe ſinè Dialecticæ adminiculo, Dialecticæ adminicula conſtare primarum notionum mentis perceptione, judicii de convenientia unius cum alio rectitudine, illationis conſecutione, ideo inchoandum ab iſtis, qui ad deſtinatum Philoſophiæ ſcopum pervenire velit. Altera *compoſitiva* priori, tot modîs contraria. Tertia *definitiva*, ex utriuſq; temperie conflata, fitq; cùm res in genere 1mùm definitione explicatur, *v.g.* Philoſophia, deinde in partes ſive ſpecies diſtribuitur,

quæ ſingulæ deſcriptionibûs, proprietatibûs ſuis illuſtrantur.

Q. XIII. *Quomodo Elocutio?*

℞. Nominum & verborum optima intelligentia, capitur ex Ariſtotelis libris inſcriptis: *Pericbermenias*, ſeu *de interpretatione*, *enuntiatione*, in quibus ait de *nomine* & *verbo*, *Oratione*, *ſigno*. * Per nominum intelligentiam pervenitur ad rei ſcientiam, quæ in rudioribus annis impeditur, ſpinoſiori vocum perceptione, & illapſu.

Q. XIV. *Quid cenſent eruditi de Dialecticæ ad Eloquentiam neceſſitate?*

℞. Syllogiſmos, dilemmata, Soritem, Epicheremata, tanquam primas Logicæ Ariſtotelicæ partes, nullus ab Eloquentiæ corpore excluſit, imò ſinguli, tanquam oſſa, & nervos, ad ſolidandam corpoream molem plenam ſangvine, & ſpiritu comptioris ſtyli, unionis compage qua tenentur hæ ſcientiæ, traxerunt. Verùm; inſolitum cum Perpiniano dicturum me video; inverſo ſcilicet ſcholarum ordine, poſt Grammaticam & Dialecticam, tum tertiô locô Rhetoricam tradi oportere.

Q. XV.

---

* Plato dixit nomina eſſe à natura. Zoar opinabatur mundum ex 22. literis eſſe conflatū, quarùm tres tribus elementis, 12, Zodiaci ſignis, ſeptem,errantium ſtellarum, orbibus,ſunt accommodatæ.

Q. XV. *Quæ ratio invertendi Ordinis, quo Dialectica priùs quàm Rhetorica addiſcenda eſſet?*

℞. Cum eodem præclariſſimo Oratore: *primus enim uſus naturalis ſermonis, quem Gramatica inſtituit, eum proximè ſequitur uſus rationis, quem Dialectica confirmat, poſtremus eſt naturalis, uſus Eloquentiæ, qui præceptis Rhetoricis perpolitur. Siquidem pueri primùm loqui incipiunt, deinde progrediente ætate rationem adhibent judicem ad unam quamque rem examinandam, ſuoque momentô ponderandam, tū ad extremum, quæ cogitârunt, verbîs, ac ſententiîs aggrediuntur ornare.* Quare idem præclariſſimus Orator, ad Juvenes Romanos rem habens; (*l*) cùm aggrederetur libros Ciceronis, de Oratore explicandos, eos ſperare, voluit multò ſe majores *unô annô proceſſus effecturos, quàm antea multîs annîs effeciſſent, ſi qui fuerunt imbuti Dialecticîs*, qualem arbitrabatur adeſſe non neminem.

Q. XVI. *Itane Philoſophi, præſertim Dialectici, præceptiones Rhetoricas Oratoribus tradiderunt?*

℞. Ariſtoteles Iſocratis famâ, quam florentem nobilitate diſcipulorum viderat ſtimulatus, ejuſq; nomini perinde, ac ſtylo infenſus ad eloquentiam animum appulit, & dicendi rationem cum diſſerendi philo-

(*l*) *Annô 1561.*

ſophandiq; ſubtilitate ſociavit, tandem Rhetoricos libros conſcripſit, & præcepta Oratoria à Corace & Tiſia Siculis; olim conſcripta, feliciter enodavit, enodata in unum locum conduxit, conducta copioſiùs illuſtravit, tantùmq; ipſis inventoribus ſvavitate, ac brevitate dicendi præſtitit, ut nemo illorum præcepta ex illorum libris cognoſcat, ſed omnes, qui quod illi præcipiant; velint intelligere, ad hunc quaſi ad quendam multò commodiorem explicatorẽ revertantur. *

Q. XVII. *Quam Eloquentiæ famã Ariſtoteles meruit?*

℞. Tullius, Ariſtotelem flumen aureũ orationis effundentem inducit. Philippus Rex ſapientiſſimus, & diſputationibûs Philoſophorum, & exercitationibûs Rhetorũ, in omni cauſa duas contrarias rationes ponderãtibus advertẽs, popularẽ; Filio ſuo Alexãdro Doctorem accivit, à quo ille & agendi acciperet præcepta, & loquendi. **

Q. VVIII.

---

* Ariſtoteles de Rhetorica ſcripſit accuratè, ejuſq; originem, ſic docuit: cùm ſubjatîs in Sicilia Tyrannîs; res privatæ longô intervallô judiciis repeterentur, tum primùm (quod eſſet acutâ illa gens, & controverſâ naturâ) artem, & præcepta Siculos Coracem, & Tiſiam conſcripſiſſe. *Cic. in claris Oratorib:* ** Ariſtotelis mos in docendo fuit; adoleſcentes ad copiam Rhetorum, in utramq; partem ut ornatiùs, & uberiꝰ dici poſſet, exerceri.

Q. XVIII. *An Dialecticâ Ariſtotelis neceſſaria Oratori Civili* v.g. *Legato?*

℞. Maximilianus Fredro, Polonus Cicero, Díalecticæ ſtudium commendat Legatis, ad exteras Nationes de paucis lectiſſimis, quo veluti umbone muniatur Legati dignitas, & arceatur exterorum calliditas.

Q. XIX. *An Advocatis?*

℞. In Græcia, & Romæ nullus comparuit Advocatus, qui non idem Philoſophus. Teſtis eſt Cicero, perfectæ Eloquentiæ typus, Advocatorum norma, qui non tantùm Pòëtarum adivit atria, ſed & Dialecticorum, Phyſicorum, Mathematicorum, iîs ſcientiîs optimè perpolitus. Teſtis Servius Sulpitius de quo Cic: (m) *nunquam ille ad tantam Juriſperitiam perveniſſet, niſi Dialecticam didiciſſet.*

Q. XX. *An Orator Forenſis multarum artium copiâ; expoliri debeat?*

℞. Cum Fabio Quint: (n) *Oratori futuro neceſſariam eſſe multarum artium ſcientiã.* Quamobrem ut perfectiſſimi legumq; & eloquentiæ famâ illuſtres Ad ocati, (quales in Polonia omnis conſpexit ætas) prodeant, non ſolùm longa * exercitatione

(m) 2. *Tuſc. q.* (n) *lib. 1. c. 10.*

* Concilium Baſilien: vetat ne quiſquam ante ſtudia legum, impenſum per quinquennium in aliqna Academia Baccalaurei legum, nominationem obtineat.

excoli illos debere, ne, ut Cauſinus profert, nunc *permultos fieri advocatos ocyus, quam coquantur aſparagi;* ſed Palæſtram juris omnium artium; Dialecticæ præcipuè; conjungere aſſvetudini. *

Q. XXI. *Quis author in Eloquentia ſequendus?*

℞. Marcus Tullius Cicero, qui Ariſtotelis præcepta combibit, & Logicam integram, ut apparet in Topicis, poſtquam volumina illius à Sylla Romam deportata fuêrant in compendium redegit, & Oratorum profectui ſubſervire fecit: & quàmvis libri permulti Oratorum, ad imitationem proponi poſſint more pictorum, qui non uno colorè fabulas oblinunt, ſed multorũ temperie artificioſiſſimè variant, & expoliunt, pueros tamen in unius Ciceronis lectionem incumbere volunt eruditi Præceptores. Ità enim contingit, ait Cauſinus, Rhetorum ſagaciſſimus, *ut principem Eloquentiæ ſpiritum à primario Oratore, & feliciùs hauriant, & aliîs vitiîs, quæ imprudens lectio ſecum affert, careant.*

Q. XXII. *An fructuosè Eloquentia promo-*

---

* In monumento Pithæi Træzeniorum Regis, Theſei Avi (qui & jus conſtanter dixit, & artem dicendi docuit) cernebatur tribunal ex albo marmore, tribûs ſellîs judicariîs inſigne, cui proximum adhærebat templum muſarum. *Pauſan:*

promoveri poteſt in Polonia, ſine Ariſtotelis Dialectica, Logica, & aliis partibus?

℞. Minimè: amoveantur fulcra, & baſes (Dialecticam intelligo) eloquentiæ; quomodo moles dicendi non ſuccumbet? nervus rationum deſit, & veluti imbelli militi armorum apparatus, nondum ad cõtentionem oratorum, quaſi ad pugnam, idoneam ſpectabis Eloquentiam?

Q. XXIII. *An pro vero cenſendum eos maximè florere eloquentiæ famâ qui Philoſophiam coluerunt?*

℞. Revocate in memoriam tam antiquam, tum noſtri ævi optimè caſtigatam eloquentiam, nonne ii maximè ardent Eloquentiæ incendiô, qui Philoſophiæ ſolidis innutriti ſunt alimentis? Devoveo ſectandum candidatis Eloquentiæ, quorũ ingens copia ad Oratorum aſpirat palæſtrã, Platonem, * Ariſtotelem, ** Theophraſtum, Xenophontem, Ciceronem, quorũ mira Eloquentia ſuccum, & ſangvinem dicendi incorruptum è Philoſophiæ traxit antece-

---

* Is eſt in cujus ore mellîficarunt apes, ceciнerunt luſciniæ, ſvada ſeſſitavit. ** Cujus character dicendi proprius eſt, elocutionis dexteritas, perſpicuitas, & mixta cum multiplici eruditione ſvavitas. Hic ornavit, & illuſtravit illam omnem doctrinam, quam pomeridianîs ſcholîs docebat, rerumq; cognitionẽ cũ orationis exercitatione conjunxit. *Cic.*

recæpta, occupatione. Quis memoratis Oratoribûs in dicendo vehementior? in conterendo adverſarios ſagacior? ſed quis in Philoſophicis exercitationibus ad minimum mediocriter verſatior? his aliiſq; ad Eloquentiæ commendationem præluxiſſe, non ambigemus Philoſophorum monumenta, ut ingenuè experientiâ ſuâ teſtatur Cicero, (o) Orator, & Philoſophus, qui ſe Oratorem, non ex Rhetorum officina, *ſed ex Academiæ ſpatiis extitiſſe fatetur.*

Q. XXIV. *Quæ cauſa ſvadet ad comparandam perfectam eloquentiam, Dialecticam pernôſſe?*

℞. Dialectica eloquentiæ parens, & Magiſtra. Dialecticæ ſinu prodiit eloquentia, ab illa incrementum, famam, & ſolidioris gloriæ vigorem accepit, præceptîs, fūdamentîs, nervô dicendi è Dialecticæ ſedibûs roborata. Meritò Logicam, causā eloquentiæ dixere nonnulli Doctores. (p) Præ cæteris Auguſtinus, (q) hac in materia audiendus: *Diſputatorem, ſi quæ delectādi cura eſt, Rhetorico colore aſpergendum, & oratorem; ſi veritatem perſvadere vult Dialecticîs quaſi nervîs, atque oſſibûs eſſe roborandum.*

Q. XXV.

(o) *lib. de Orat.*

(p) Noviſſima autem omnium inventa eſt Logica cauſa eloquentiæ.

Logica namq; facundiæ rectitudinē, veritatē, venuſtatem adminiſtrat. *Rich: Vict. de except. c. 5.*

(q) *De princ. Dial. c. 7.*

Q. XXV. *Quid ſit eſſe eloquentem?*

℞. Teſtatur Cicero: (r) ſibi accidiſſe diſertos cognoviſſe nonnullos; eloquentem neminem, eloquentem exiſtimat eum, qui mirabiliùs, & magnificentiùs augere poſſet, atque ornare quæ vellet, omnes omnium rerum, quæ ad dicendum pertinerent fontes, animô, & memoriâ contineret.

Q. XXVI. *An conſonum ſit bonæ conſequentiæ in Eloquentia veterem Tullium, Ariſtotelem, in Philoſophia, recentiores Authores commendare?*

℞. Indeciſam ſententiam eruditorum librandam conſiliîs, & exercitationibûs relinquo: nec accuſo eos, qui, cùm in Eloquentiæ ſtudio antiquiſſimum Tullium, imitandum novis Oratoribus proponant, Philoſophis, eliminata veterum conſvetudine ſunt injurii. Itane gravitas ſtyli, ſoliditas, perſpicuitas, cunctus Eloquentiæ nitor reſedit in antiquis Oratoribus: Duce Ariſtotele, & Tullio? veritas, philoſophandi honos, Ariſtoteli, aut cuipiam alteri è vetuſtioribus erepta? luſtranda Oratorum antiquitas, Philoſophorum coärguenda? docenda vetus Eloquentia, dedocenda Philoſophia? Tantinè conſtat fucatam, floridam, combinatam Eloquentiam ad Eruditorum offenſionem cribrari? Philoſophiam re-

(r) *Lib.* 1. *de Orat.*

am recentiorem certè floridiſſimam, comptam, deliciis & voluptate ingenii luxuriantem induci? Enarratè cur non æquè in amore valeat circumſtantiarum in Rhetorica, ac atomorum in Philoſophia combinatio?

SYNO-

SYNOPSIS RATIONUM pro Peripatetica Philo-ſophia.

1mà. *ANtiquitas & poſſeſſio non interrupta, in Univerſitatibus, Academiis, Scholis publicis, & privatis mille ſupra annos.* 2. *SS. PP. & Doctorum Auguſtini, Hieronymi, Baſilii, Damaſceni, Thomæ Angelici, Alberti M. & omnium tam Latinorum, quàm Græcorum Authoritas, qui Peripateticam Philoſophiam ſecuti.* 3. *Eccleſiæ Authoritas, quæ in Concilio Lateran: omnibus ſcholis commendat Philoſophiam Ariſtotelis.* 4. *Conſenſus omnium eruditorum, qui nullum alium Ducem novit in Philoſophia; præter Platonem & Ariſtotelem.* 5. *Omnes Religioſæ Familiæ, quarum aliæ D. Damaſcenum, Thomam Angelicum aliæ, Subtilem Scotum, Reſolutum Bacconem aliæ, aliæ ad robur Philoſophiæ Suarez, Vazquez, Arriagam, Bellarminum, Ptolomæum, Toletum &c: adhibent, Ariſtoteli inſiſtunt.* 6. *Tot Viri in Eccleſia & omni Republica, Philoſophi, Theologi, Mathematici &c: Philoſophiâ Peripatetica inſtructi, prodierunt.* 7. *Ariſtotelica Philoſophia Janſeniſtas in Gallia, Huſſitas in Bohemia, Lutheranos in Germania, & Polonia, Schiſmaticos, Arianos, Atheos profligavit.* 8. *Cum fide Ortho-*

thodoxa cohæret. 9. *De exiſtentia* DEI, *immortalitate animæ, myſterio Euchariſtiæ, cum Eccleſia ſentit.* 10. *Recentior Philoſophia, nulla ex enumeratis prærogativâ gaudet, imò gradus eſt ad hæreſes, & Atheiſmum.* 11. *Libri Carteſii ſuſpenſi donec corrigantur, Peripateticorum in pretio habiti. Et licèt Clemens VIII. Ariſtotelem è Scholis Catholicis propulſare, & Platonem inducere decreviſſet, Roberti, Bellarmini Cardinalis conſiliis receſſit à propoſito, & nunquam Peripateticam Philoſophiam ullus Pontifex inhibuit.* 12. *Eloquentiæ eſt primum fundamentum.* 13. *Poloniæ Regno multùm perutilis.* 14. *Ad omnes ſcientias addiſcendas neceſſaria.* 15. *Sincera illius laus, quia ab hoſte Carteſio profluens maximè eam commendat. Hic Flexiæ Philoſophiæ, certè Peripateticæ dans operam, cæteriſq; artibus, ſequentibûs utilitatem illius declarat:* Philoſophia, quia clavis eſt ſcientiarum, credo admodum utile eſſe, ut integrum curriculum quiſquam abſolvat, prout in Jeſuitarum Collegiis traditur, antequam quis valedicat ſcholis, ut verè doctus evadat. *

TABU-

---

* 2. ep: *90. Prodiit Gedani libellus, 1745. cui titulus:* Orthodoxa Philoſophia, *ubi Ariſtotelica Philoſophia, ex authoris dignitate, ex antiquitatis teſtimonio & conſenſu, ex veritate, quàm evidentiùs demonſtrat contra recentiorum opinionem peramplè dilaudatur.*

TABULA I.

Exhibens collationem veteris Philoſophiæ, & recentioris.

1ma.	1ma.
Vetus à Platone, Ariſtotele originẽ ducit. *Quæſt: erud:* §. 2. *q.* 22.	Recentior, à Leucippo, Democrito, Epicuro. *Quæſt. erud:* § 2. *q.* 21. *Quæſt: oppoſ:* § 5. *q.* 5.
2.	2.
Veterem D. Damaſcenus, Thomas, Albertus M. & alii SS. & docti Viri elucidârunt. *Q. erud:* § 3. *q.* 5. & 6. *Q. Sol.* §. 1. *q.* 6. 7.	Recentiorem Gaſſẽdus; Carteſius. *Quæſt: erud.* § 2. *q.* 23.
3.	3.
Veterem amplexi ſũt omnes ferè priſci Eccleſiæ Doctores, SS.PP. *Quæſt: erud.* § 3. *q.* 1. 4. 7. 8.	Recentiorem amplectuntur nonnulli novicii Philoſophi.
4.	4.
Veterem probavit, commendavit Eccleſia Catholica. *Quæſt: erud:* § 3. *q.* 3.	Recentiorem nunquam probavit, & commendavit. *Quæſt ſelect.* § 1. *q.* 16.
5.	5.
Vetus cohæret cum S. Scriptura, Conciliis, & SS. Patribus. *Quæſt. Select.* § 1. *q.* 6.	Recentior non benè. *Quæſt: oppoſ:* § 5. *q.* 5. & *aliis.*

6.

6. Vetus hoſtis Lutheri & Calvini. *Quæſt: ſelect:* § 1. q. 17. § 2. q. 14. 15. &c.	6. Recentior favet Luthero & Calvino. *Quæſt: ſelect* § 2 q 22.23.24.&c.
7. Vetus ſtrenuè propugnat fidem Catholicam. *Quæſt: ſelect.* § 1 q.	7. Recentior convellit. *Quæſt. oppoſ:* § 2.3.4.5.
8. Vetus de fide orthodoxa bene merita. *In Synopſi rationum.*	8. Recentior nullius meriti. *Quæſt: ſelect* § 2 q. 21. 22. 26.
9. Vetus nulli in fide obnoxia periculo. *Q. oppoſ.* § 4.	9. Recentior periculoſa. *Quæſt. oppoſ.* § 4. q. 1.2.3. & *aliis.*
10. Veterem repellunt acatholici. *In propoſit: Lutheri ante Theſes Log.*	10. Recentior, præcipuos ſequaces habet acatholicos.
11. Vetus ubiqué terrarum propagata. *In Synopſi rationum.*	11. Recentior non eſt Catholica, id eſt univerſalis.
12. Vetus traditur, & laudatur in publicis Univerſitatibus, Academiis, ſcholis. *Quæſt. erud.* § 3. q. 6.	12. Recentior toleratur in nonnullis.

13. Ve-

13.

Vetus immunis ab omni cenſura Eccleſiæ. *In Synopſi ration:*

14.

Vetûs validus aries contra hæreſes & Atheiſmum. *Quæſt ſelect.* § 2. q 15. 16. & *aliis.*

15.

Veteri potior eſt D. Thomas quàm recentioris Philoſophiæ anteſignanus.

16.

Veterem plurimæ Religioſæ Familiæ Inſtitutô Ordinis adſtrictæ, admittunt. *Quæſt: ſelect.* § 1. q. 5.

17.

Vetus propugnatrix Honoris MATRIS Sanctiſſimæ. *Quæſt: ſelect.* § 3. q 3 4. 5. &c.

18.

Vetus nil aſſerit, quòd non probat.

13.

Recentior confixa, & ſuſpenſa. *In Synopſi rationum.*

14.

Recentior gradus, eſt ad hæreſim, & atheiſmum. *Quæſt: oppoſ* § 2. *Quæſt ſelect.* § 2. q. *ſepar. ſub tit ad convincendos Atheos &c.*

15.

Propter recentiorē plurimi à D. Thoma defecerunt. *Quæſt: ſel:* § 2, q. 26.

16.

Recentiorem nulla Religio vî Inſtituti admiſit.

17.

Recentior præjudicioſa. *Quæſt: ſelect* § 3. q 9.

18.

Recentior multa aſſerit, ut de *motu, moleculis* &c. & non probat

K 19.

19. Vetus rationi, & experientiæ nititur.	19. Recentior ſenſuum fallibilitati, *Q. oppoſ:* § *6. q. 12.*
20. Vetus difficultates recentiorum perpendit, & ſuas conſtans ſibi reſolvit.	20. Recentior difficultates Peripateticorũ conatur fugere, ſuîſque intricatur. *Quæſt. oppo:* § *6. q.* 11,12.
21. Vetus ad contradicendum falſitati. *Quæſt: ſelect:* § *2. q. 15.*	21. Recentior ad contradicendum Peripateticæ.
22. Vetus methodum inquirendæ veritatis in Dialecticæ peritia reconditam tuetur, & cõſervat. *Quæſt: ſelect:* § *2. q. 17. &c.*	22. Recentior to llit, vel langvidè tractat. *Q. ſelec* § *2. q.* 21, 22.
23. Vetus placet maturo ingeniô præcellentibus Viris. *Quæſt: erud.* § *3. q. 10.*	23. Recentior maximè voluptati ingenii adhærentibus. *Q. ſelect.* § *5. q. 5.*
24. Vetus commendat ſe eruditorũ authoritate. *In ſynop: rati:*	24. Recentior novitate. *Quæſt. oppoſ:* § *6. q.* 16.

25.

25. Vetns cum Cicerone, & Eloquentia Romana, tanqnam illius fundamento; concordat. *Quæſt: ſelect.* § 4.	25. Recentior Ciceronis ſtylum, totamq; veterem eloquentiam ſubruit. *Q. ſelect:* § 4. 26.
26. Vetus ſubſiſtit cum principiis lumine naturæ notis.	26. Recentior pugnat. *Quæſt. oppoſ:* § 6.
27. Vetus confert plurimùm ad Chriſtianam Theologiam. *Quæſt: ſelect.* § *1. q. 8. 17.*	27. Recentior minimè. *Quæſt: ſelect:* § 1. *q.* 2.

TABULA II.

Exhibens propoſitiones nonnullas veterum & recentiorum Philoſophorũ ex Carteſio, Gaſſendo, Aylevorth, Gengell, collectarum.

1. PEripatetica Philoſophia docet conformiter ad fidem, quòd in Sacramento Euchariſtiæ, dentur accidentia materialia abſoluta.	1. REcentior, quòd in Sacramento Euchariſtiæ, nulla ſint accidẽtia materialia abſoluta.

2.

Accidentia Euchariſtica, juxta fidem, non ſunt meræ rerum apparentiæ DEO oculis, & aliis ſenſibus illudente, ad occultandum myſterium.

2.

Accidentia Euchariſtica, ſunt meræ rerum apparentiæ, DEO, oculis & aliis ſenſibus noſtris illudente, ad occultandum myſterium.

3.

Non rectè explicatur conformiter ad fidem tranſubſtantiatio, & reliqua ad Sacramentum pertinentia, ſine ullis accidentibns, aut qualitatibus abſolutis.

3

Rectè explicatur tranſubſtantiatio, & reliqua ad Sacramentum pertinentia, ſinè ullis accidentibus &c.

4.

CHRISTUS in Euchariſtia eſt idem, qui fuit paſſus in Cruce.

4.

CHRISTUS in Euchariſtia, non eſt idem, qui fuit paſſus in Cruce.

5.

Corpus Chriſti in Euchariſtia, non eſt extẽſum in longum, latum, & profundum.

5.

Corpus eſt exenſum in longum, latum, & profundum.

6.

Penetratio Coporũ ut in Reſurrectione Chriſti, & locus omni corpore vacuus, non involvit contradictionem.

6.

Penetratio Corporũ propriè dicta, & locus omni corpore vacuus; involvit contradictionem.

7.

7.

Periculoſum eſt, & ad Atheiſmum perducens de DEO dubitare, DEUM negare.

7.

Veritatis inveniendæ medium de omnibus rebus dubitare, omnia negare, etiam ipſum DEUM, præterquam quòd exiſtam, cogitem.

8.

Illud etiam eſſe verum, quod à nobis clarè & diſtinctè non percipitur, ut DEUS trinus, viſio Beatorum, pœnæ inferni, &c.

8.

Illud ſolùm eſſe verum quod clarè & diſtinctè percipitur.

9.

Ego cogito, ergo exiſto, eſt fallibile, quia poteſt inferri ex illo: *Ergo ego non exiſto* juxta Carteſium.

9

Ego cogito. Ergo ego exiſto, eſt infallibile apud recentiores principium.

10.

Impoſſibile eſt, idem eſſe & non eſſe &c. ſunt infallibilia, & lumine naturæ nota.

10.

Implicat idem eſſe & non eſſe; omne eſt, aut non eſt, & alia &c poſſunt eſſe falſa.

11.

Plures mundi ſunt poſſibiles, & DEUS poteſt illos condere.

11.

Mundus exiſtere nō poteſt niſi unus.

12.

Mundi extenſio eſt

12.

Mundi extenſio eſt

ſinita, & clauſa terminîs.

13.

Supra cælum nullum corpus exiſtit, adeoq; nullum ſpatium reale, aliàs extra mundum daretur aliquid creatum.

14.

Quòd aliqua corpora exiſtant *v. g. lapis, homo*, certò cognoſcimus independenter à revelatione Divina, certiùs; quàm corpus illud ſupra cœlum, recentiores.

15.

Tam in Ethicis, quàm in Phyſicis pium eſt dicere, omnia à DEO propter nos facta.

16

Nullis rationibûs oppugnabuntur, & poſſũt Fidei Chriſtianæ dogmata oppugnari, quæ ſolvi non poſſint, quoniam Acatholicorum, Ethnicorum argumenta ſunt ſolubilia.

indefinita in ſe ipſa.

13.

Ubicunq; imaginari poſſumus, extenſionem localem *v. g.* ſupra cœlum, ubi re ipſa ſpatiũ exiſtit plenum corpore.

14.

Non niſi per fidem Divinam, certò cognoſcere quiſquam poteſt, quòd aliqua exiſtant corpora.

15.

In Ethicis pium eſt dicere, omnia à DEO propter nos facta fuiſſe, quanquam ſit in phyſicis ridiculum.

16.

Tam validis argumentîs poſſunt Fidei Chriſtianæ dogmata oppugnari, ut ſalva ratione ſolvi non poſſint.

17.

17.

Libri S. Scripturæ nobis Chriſtianis ſcripti, quoniam præcepta Decalogi, Prophetarum libri &c, nobis porrecti &c:

17.

Libri S. Scripturæ non hujus temporis Theologis; ſed Judæis fuerunt ſcripti.

18.

Quidquid de inferorum ſuppliciis ignibus &c. CHRISTUS diſſeruit, Catholica fides docet vera eſſe objectivè, non ad timorē ſolùm exaggerata.

18.

Quidquid de inferorum ſuppliciis, ignibus, tenebris CHRISTUS diſſeruit, tantummodó fuerunt ſermones, figuræ, ad incutiendum terrorem.

19.

Præjudicium erroneum eſt credere, quòd infantes in utero matris cogitent, fateantur adverſarii, ediſſerant, quid cogitaverint.

19.

Præjudicium erroneum, eſt credere infantes matris utero incluſos nihil cogitare, adeoq; infántes in utero cogitant.

20.

Belluæ habent animas ſenſitivas, adeoque ſenſu, & ſenſatione vitali pollent.

20.

Belluæ ſunt meræ automata; omni ſenſu, & cogitatione carentia.

21

Dantur formæ ſubſtantiales à materia diſtinctæ, tanquam principium exigitivum diverſarum ſpecie qualitatum.

22.

Anima non eſt cogitatio, quoniam cogitationes dantur plurimæ in uno homine. Sed alia aſſignatur animæ definitio.

23.

Omnis ſubſtantia juxta fidem, poteſt vel ab ipſo DEO in nihilum redigi.

21.

Nullæ ſunt formæ ſubſtantiales, à materia diſtinctæ.

22.

Anima eſt cogitatio mentis.

23.

Nulla ſubſtantia neque ſpiritualis, neque corporea poteſt, vel ab ipſo DEO ad nihilum redigi.

Niſi impunis hæc Philoſophandi licentia, atque efferus iſte ingeniorum pruritus tempeſtivè coërceatur, vehementer timendum ſit, ne loco ſcientiæ novæ, & reconditioris Philoſophiæ prætextu, omni bona Philoſophiâ, unà cum Religione; ac fide denique ipſa, (cujus infallibili certitudini omnis bonus, & verè Chriſtianus Philoſophus meritò omnem certitudinem, & evidentiam humanarum ſcientiarum poſthabere debet) eradicata, totum mundum inextricabilibus ignorantiæ tenebris unà ſecum involvant. Kircher l.3. art: mag: p.1. c.1. q.1. ſect.1.

CLARISSIMORUM VIRORUM EFFATA IN LOGICÆ COMMENDATIONEM, & UTILISSIMAM NECESSITATEM.

PRopter hoc interdum videntur indocti copiam habere majorem, quòd dicunt omnia, doctis eſt electio, & modus. Quint: l. 2. inſtit: Orat: cap: 1.

Oportet in addiſcendo à Logica incipere, inquantùm ipſa docet modum procedendi in omnibus ſcientiis. D. Th: opuſc:70. q. 1. ad 3.

Qui caret Logicâ, & aliquid ſcit, ſe habet ſicut idiota, quia neque ſuum, neque alienum deprehendit errorem. Alber:Mag: Tract:1. c.3.

Niſi Logica præceſſerit, ſæpè in multos neceſſe eſt labatur errores. Bòét: l. 1. ad Top. Cic: admonens, ut Dialecticâ inſtructi Philoſophiam adeant.

Dialectica eſt: quæ mentis oculum barbaricô lutô obrutum ſurſum trahit, ne ignorantiæ cœnô merſus jaceat. Plato l.2. de Republ:

Dialecticam eſſe diſciplinarum omnium

apicem, atque finem, cæteras autem omnes diſciplinas, quàmvis propter conſuetudinē, ſcientiæ dicantur, ſi tamen cum Dialecti-ca comparentur; ſcientiæ nomine non eſſe dignas, ſed potiùs eſſe dicendas, medium inter ſcientias, & opinionem. Plato l. 7. de Republ.

Dialectica viam oſtendit, & methodum tradit, quâ occulta manifeſtare, confuſa diſcernere, errores repellere, veritateſq; confirmare poſſumus, propterea, ante omnem aliam ſcientiam addiſcenda eſt. Toletus l. 1. Introd: in Dial: Ariſt: c. 1.

Hæc docet docere, hæc docet diſcere, in hac ſe ipſa ratio demonſtrat, & aperit, quid ſit, quid velit, quid valeat, ſcit ſcire, ſola ſcientes facere poteſt, ac propterea ſcientia argumentandi, & definiendi non ab hominibus pro arbitrio inſtituta eſt, ſed in rerum ratione comparata. D Aug. l. 2. de Ordine Log: c. 13.

De Logica dixit Cicero l. 3. defin: *Habere rationem, ne cui falſò aſſentiamur, neque unquam captioſa probabilitate fallamur; & ſinè hac quemvis à verò abduci, falliq; poſſe.*

Præcla-

Præclarus & divinus eſt impetus, quo raperis ad ſcientias, ſed priùs exerce te dum juvenis es in ea facultate, quæ multis inutilis videtur, (Logicam intellexit) atque etiam garrulitas vocatur, alioquin veritas te effugiet. Parmenides monuit Socratem apud Platon: in Parmen.

Abſque Dialecticæ ſpeculatione ſapientē in oratione ſinè lapſu non futurum dicebant Stoici. Quippe ex ea dignoſci verum, atque falſum. probabile autem, & quod ambiguè dicatur, dijudicari: Eâ remotâ jam non licere rite interrogare, atque reſpondere. Neque aliter acutum, & ingenioſum, cautúmque omnino in dicendo fore, & viſum iri ſapientem. Laërtius 7. ſeg: 46.

PRO-

Propoſitiones Lutheri contra Logicam & Philoſophiam Peripateticam.

1. *LOgica eſt garrulitatis garruliſſimæ Magiſtra, & contra ſilentium introducta eſt à diabolo in Monaſteria.* T. 1. in exam: 1. Præcep.

2. *Ego ſimpliciter credo, quòd impoſſibile ſit Eccleſiam reformari, niſi funditùs Scholaſtica Theologia, Philoſophia, Logica, ut nunc habentur, eradicentur.* Epiſt: 47.

3. *Dialectica eſt noxia vero Theologo.* Tom: 1. Ep. Latin: ep. 54.

4. *Ego (inquit Lutherus) ſi Dialectica conſcribere deberem, tunc hæc verba: propoſitio, ſyllogiſmus, enthymema, exemplum, rejicerem, quia ſunt aliena, & Græca.* In coll: menſ: tit: de art.

5. *Bonum erat Eccleſiæ, ſi Theologus Porphyrius, natus non fuiſſet cum ſuis univerſalibus.* Theſi 59. in Diſp: Vitembergæ habita A. 1517.

6. *Totum*

6. *Totum illud commentum arboris Porphyrianæ minùs quàm anile figmentum eſt, aut ſomnium ægrotantium.* Epiſt: 54.

7. *Prædicamenta nocent Theologiæ.* Epiſt: eadem.

8. *Per Philoſophiam Peripateticam ſeducti ſumus.* Tom: 1. in explic: 8. Præcep.

9. *Peripatetici Philoſophi meras ſectantur nugas:* In expl: 8. Præc.

10. *Philoſophia Thomiſtica ruat.* Epiſt. 78.

11. *Phyſica Ariſtotelis eſt prorſus inutilis materia omni penitus ætati.* Epiſt: 100.

12. *Metaphyſica Ariſtotelis penitus aboleatur, & exterminetur.* L. de ref: Chriſt: Reipubl.

Dialecticam oderat Pelagius, uti, & noſtri Novatores, quia per eam videbat ſe ab Auguſtino, aliiſq; Orthodoxis; erroris convinci, & confutari. Cor: à Lap. Com: in epiſt: 1. ad Timoth: c. 6.

 Intel-

INtelligat orthodoxa Philoſophorum Reſpublica, quid moliatur novi ingeniô Recentiorum Philoſophia. Nonne novis quæſtionum diſſidiîs adſtipulari ſe ſinit Acatholicorum dogmatibus? Itane flagrantiſſimo partium novæ Philoſophiæ abrepta ſtudio pervicaciori illius veritati ſe mancipabit? arma & vires hoſtium, unita vi Religionis Catholicæ communiet? fulcrîs rationum locupletabit? Cum hæreticis nihil nec verbô quidquam debet eſſe commune, monebat Angelicus, novitatem ſuſpectã ſemper Sanctis Viris detonabat Auguſtinus: Num verbô, & ſententiâ in præſentiarum non conſentiemus Luthero, & Pelagio? Num novitatem erroribus affinem extra ſuſpicionis fores ejiciemus?

THE-

THESES PHILOSOPHICÆ.

Ex UNIVERSA LOGICA.

I.

LOgica docens è mente D. Thomæ neceſſaria eſt ad alias ſcientias acquirendas, qui ait: Abſurdum eſt ſimul quærere ſcientias, & modum ſciendi, id eſt Logicam, (a) & propter hoc debet priùs addiſcere Logicam, quàm alias ſcientias, quia Logica tradit communem modum procedendi in omnibus aliis. Hanc, Cynici, Epicureî excluſerunt, ut de Epicuro teſtatur Cicero: (b) *Diſſerendi artem nullam habuit Epicurus.*

II.

CUm ſpecies virtutis intellectualis recenſeantur ab Ariſt: 5. Eth: Intelligentia, Sapientia, Prudentia, Ars, Scientia; vitia mentis, numerentur: error, & hæreſis. Inter virtutem intellectualem, & errorem, medium, quod verſatur cir-

)4(ca a-

(a) 2do *Metaph: lect.* 2. (b) *L.* 1. *defin.*

ca actus pro utraq; parte rationes ſolidas admittentes; vocatur *Facultas*, partes illius, ſeu ſpecies *Opinio*, *Fides humana*. *

III.

Q*Uoniam ſcire unamquamq; rem, non ut Sophiſtæ per accidens arbitramur; cùm cauſam ob quam res eſt, illius cauſam eſſe, & fieri non poſſe, ut taliter ſe res habeat cognoſcimus*, (c) idcirco juxta Philoſophum: Scientia eſt cognitio rei per demonſtrationem, ſeu per rationes certas & evidentes acquiſita.

IV.

A Cataleptici nihil certò ſe comprehendere, Sceptici ſeu inquiſitores veritatis, quam ignotam arbitrabantur, Pirrhonici à Pirrhone Academico negabant ſcientias. Contra illos evidenter dari ſci-

* Tria ſunt veluti finitima ſibimet in animis hominum diſtinctione digniſſima, intelligere, credere, & opinari. Quæ ſi per ſe conſiderentur, primum ſinè vitio eſt, ſecundùm aliquãdo cum vitio, tertium nunquam ſinè vitio. Quod intelligimus, debemus rationi; quod credimus, authoritati; quod opinamur, errori. *S. Aug. lib. de util. Cred. c. 2.*

(c) *imò Poſte. cap. 2.*

ri ſcientias, & contra Platonem (*d*) admittentem ſolas reminiſcentias, contra Pythagoram docentem per tranſmigrationem animarum ex homine *v. g.* in aſinum ſopitas eſſe ſcientias, (*e*), darique de novo ſcientias. *

V.

AD proprietates ſcientiæ revocantur: Certitudo, (*f*) Evidentia, Veritas, Illatio. Ad ſcientiam propriè talem non requiritur firmitas judicii de objecto impotente etiam Divinitùs aliter ſe habere, ſeu certitudo Metaphyſica, ſed ſufficit firmitas,

(d) Apud Platonicos illud eſt effatum familiare: ſcire noſtrum, eſt reminiſci.

(e) Carteſius eo tempore quô anima à DEO creata, inditas illi dixerit, rerum ideas, quæ cognitionis, & ſcientiæ forent prima ſemina, & ut percipi poſſent ab anima, à phantaſmate materiali excitari debere.

(f) Evidentia eſt claritas, ſeu perſpicuitas, quâ intellectus ità objectum percipit, ac ſi videret, *D. Th. l. 2. q. in art. 9.*

* Veteres Philoſophos accuſabat Ariſt: qui exiſtimâſſent Philoſophiam ſuis ingeniîs eſſe perfectam, eos aut ſtultiſſimos, aut glorioſiſſimos fuiſſe: videre ſe enim quòd paucis annîs magna illi acceſſio facta eſt. *Cic: Tuſc. 3.* Multùm adhuc reſtat operis multùmq; reſtabit, nec ulli nato poſt mille ſæcula præcludetur occaſio aliquid adhuc adjiciendi. *Sen. Epiſt. 64.*

mitas, & adhæſio judicii de re, quæ ſervato ordine naturæ aliter contingere non poteſt; vel talis firmitas, & adhæſio, cujus gratiâ communi omnium more, ac judicandi conſvetudine dubitare non liceat.

VI.

Logica, eſt ſcientia (g) habens pro fine partim opus faciendum, partim cognitionem veri: verſatur circa operationes intellectûs, & voces externas: eſt etiam ars juxta D. Thom: (h) juxta Auguſtinum, ars artium nobiliſſima: *

VII, Qua-

(g) Sola Logica docet docere, & ſola ſcientes facere poteſt. *D. Aug. l. 2. de Ord. c. 13.*

(h) *1. Poſt. lect.* Ars quædam neceſſaria, quæ ſit directiva ipſius actus rationis, per quam, ſcilicet homo; in ipſo actu rationis ordinatè procedat, & hæc eſt Logica.

* Artes liberales ſunt 7.

Gram.	*Rhet:*	*Dial.*	*Arit.*	*Muſ.*	*Geom.*
Lingva	Tropus	Ratio	Numerus	Tonus	Angulus

Aſtron.
Aſtra.

Munia illarum: *Dial:* vera refert, *Gra:* loquitur, *Rhet:* verba colorat, *Muſ.* canit, *Arit:* numerat, *Geom:* ponderat, *Aſtr:* colit Aſtra.

Artes Mechanicæ 7.

Agri:	*Venat.*	*Mil.*	*Naut:*	*Chirurg:*	*Text:*	*Fabri:*
Rus	nemus	arma	rates	vulnera	lana	faber

VII.

QUatuor Cardines diſcurſûs humani nemo non novit, Identitatem, Diſtinctionem, Oppoſitionem, Connexionem. De his Logica inſtituit utiliſſimas quæſtiones, præſertim de identitate,& diſtinctione rerum. Identitatem, unitatē, & communionem ſummam rerum; (*i*) diſtinctionem verò, alietatem unius ab alio aſſeruit Ariſtoteles. *

VIII

DIſtinctio realis adæquata, & inadæquata datur. Utraq; non eſt ſuperaddita enti; quoniam unum per ſe ipsū non eſt idem cum alio, ut ait D. Thom: (*k*) ipſa eſſentia entis creati ſecundùm quid eſt indiviſa in ſe, & diſtincta ab aliis, eſt unitas ejus.

IX.

DUplex modus cognoſcendi intellectui humano inſitus. Primus, cùm cogno-

(i) *5. Met. cap. 9.* * E mente Concilii Lateranenſis, Pater æternus eſt alius à Filio, non aliud. Juxta *Symb. Athan*: alia eſt Perſona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti,

(k) *In 1. diſt. 19. q. 4. Art. 1. ad 2.*

cognoſcitur unum per modum plurium, * alter cùm plura cognoſcuntur per modum unius. ** Per primum intelligitur: diſtinctio rationis ratiocinantis, & ratiocinatæ; per alterum: univerſale in eſſendo, ſeu unum reſpiciens multa.

X.

ADmittuntur cognitiones abſtractivæ, intuitivæ, præciſivæ, quarum fundamentum intellectus noſter limitatus; non valens cognoſcere comprehenſivè: alterum, res ipſæ ad diverſos terminos repræſentatæ. ***

XI.

PRæciſiones in rebus ipſis, ſeu objectivæ,

* Cùm bibitur conchâ, tunc jam vertigine tectum
Ambulat, & geminis conſurgit menſa lucernis. *Horat.*

** De Inſulis Arcaniæ ex adverſo fluminis Archeloi apparentibus tanquam una, cecinit. *Ovid. l. 8. Metamor.*

Amnis adhæc, non eſt, inquit, quod cernim9 unum,
Quinque jacent terræ, ſpatii diſcrimina fallũt.

*** Diverſitas rationis, Sapientiæ, Potentiæ, & Bonitatis fundatur in intellectu ſicut in ſubjecto, & in DEO ſicut in objecto. *D. Thom: Op. 9. q.13.*

ctivæ, diſtinctio virtualis * & formalis ex natura rei ** cum identitate reali *v.g.* in contritione, inter amorē DEI, & odium peccati contradictionem involvunt. ***

XII.

Eſſentiæ rerum univerſales, quas in ideis ſuis ſub lunæ concavo ſtatuebat Plato, merum ſunt figmentum; & quamvis per illas intelligeret Plato in Timæo, (*l*) & Seneca, (*m*) exemplaria in mente Di-

* Dicendum, inquantum eſſentia, & Perſona in Divinis differunt ſecundùm intelligentiæ rationem, ſequitur, quòd aliquid poſſit affirmari de uno, quod negatur de altero, *S. Thom: p. 1: q. 39. art. 1. ad 2.*

** Apud Patrem Staudenhecht *Tract: Philoſop: Theol: p. 2. c. 1. a. 2.* citatus Suarez pro diſtinctione formali ex naturâ rei hîs verbîs; *ut aliqua à nobis diſtingvantur plùs quàm ratione ratiocinanti, neceſſarium eſt, ut habeant diſtinctos conceptus objectivos, & ſecundùm eos rationes formales aliquomodo diſtinctas:* intelligendus de diſtinctione fundamentali ſecundùm diverſos terminos rei.

*** Pax antè fida nivibus, & flammis erit,
Et Scylla Siculum junget Auſonio latus.
Seneca in Hercul.

(l) Mundùm à DEO conditum fuiſſe, juxta exemplar, quod mente conceperat.

(m) DEUS in ſe rerum exempla habet, quas Plato ideas appellat. *Epiſt. 66.*

te Divina, non cenſendæ ſunt univerſales. *

XIII.

UNitas rationis requiritur ad univerſale Metaphyſicum, nec ſufficit unitas rationis convenientiæ, aut unitas Scotiſtica formalis, & unitas indifferentiæ. Unde genus, differentia, ſpecies, &c. mente, & intellectu ſunt eſſentiæ univerſales, & prædicabiles, ſeu affirmabiles de pluribus. Hocq; ſenſu intelligendus loqui D. Damaſcenus: (n) communis natura ratione eſt conſideranda, mente enim concipimus Petrum, & Paulum ejuſdem eſſe naturæ.

XIV.

QUinque Prædicabilia rem commune pluribus ſignificantia ſtrictim exponuntur, ſcilicet Genus, Differentia, Species, Proprium, & Accidens. Hæc, Porphyrius Philoſophus Platonis, diſcipulus Plotini, condiſcipulus Origenis, Chryſaorio Romano juveni, in libro Iſagoge, ſeu

* De Platonicis ideis ortas hæreſes, *S. Irenæus & Maximus affirmat.*

(n) *Lib. 1. Fidei Orth. cap. 11.*

ſeu Introductio, ad Cathegorias Ariſtotelis, explanavit. Et quot modîs ineſt natura univerſalis rebus, tot ſtatuuntur univerſalia. Ineſt verò, vel eſſentialiter, per modum partis materialis, ſeu generis, vel per modum partis formalis, ſeu differentiæ, vel per modum ſpeciei, ſeu totius, vel non eſſentialiter, ut ſit per proprium, & accidens. *

XV.

Liber Ariſtotelis (o) inſcriptus, Cathego-

* Non minùs neceſſarium eſt, ſcire quid ſit Genus, & quid ſpecies, ad ſacras literas addiſcendas, quàm ad Prædicamenta Ariſtotelis. *D. Aug. l. 2. de doct. Chriſt. c. 31. apud Rupert. l. 7. de Oper. Spir. S. c. 3.*

Qui nondum intelligit quomodo plures homines in ſpecie ſint unus homo, qualiter in Sacratiſſima, & altiſſima naturâ comprehendet, quomodo plures Perſonæ, quarum ſingula quæque perfectè eſt DEUS, ſint unus DEUS? *S. Anſelmus l. 1. de Incarn. c. 2.*

Pronuntiavit Iſaias: *prodibit Virga de radice Jeſſe, & flos de radice aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini.* Deinde ſpecies ejus enumerat: Spiritus ſapientiæ, & intelligentiæ, Spiritus conſilii, & valentiæ, Spiritus agnitionis, & religionis, Spiritus eum replevit timoris Dei. *Tertulianus l. 5. contra Martien. c. 15.*

(o) Doctor Angelicus, ſi Complutenſibus credimus, Ariſtotelis fideliſſimus interpres, & diſcipulus exſtitit. *P. Ayler Tract. 1. Log. Diſp. 4. c. 1.*

thegoriæ, Latinè idem eſt, quod *prædico, enuntio*, à Boëtio vocatus *Prædicamenta*, continens tres partes, exponitur. Prima vocatur ab Ariſtotele *Protheriæ*, ſive, principia, à Philoſophis ſequacibus antepraedicamenta nuncupata, ſecunda nominatur Prædicamenta, tertia *Hypotheorias*, ſeu poſtprædicamenta.

XVI.

ANtepraedicamenta recenſentur tria: univoca, analoga, (*p*) æquivoca, (*q*) additur 4. denominativum. Prædicamenta 10. Subſtantia, Quantitas, Qualitas, Actio, Paſſio, Relatio, Ubi, Quando, Situs, Habitus. Poſtprædicamenta 5. Oppoſitio, Prioritas, Simultas, Motus, & Modus habendi, A recentioribus Platonis ſequacibus, ſeptem: Mens, Menſura, Quies, Motus, Poſitura, Figura, ſunt cum materia, cunctarum exordia rerum.

XVII. Da-

(p) Juxta Suarez *Tom. 1. in 3. par. q. 16. art. 1*, *Homo*, reſpectu CHRISTI eſt univocum, reſpectu DEI. v.g. *DEUS eſt Homo*, eſt analogum.

(q) *Hurtadus Diſp. 9. Log. ſec. 2. Oviedo contr. 1. Met. p. 2. n. 6.* docet in DEO propriè admitti ab aliis æquivocationem, licèt hoc, inter idiotas ſpargendum non ſit.

XVII

DAntur conſtitutiva adæquata, & inadæquata rerum, & denominationum. *

XVIII.

UNdenam cognoſcatur, aliqua requiſita ſpectare ad conſtitutionem, & eſſentiam Phyſicam illarum, diſceptatur inter Philoſophos. Recentiores nonnulli propoſitionem univerſalem, ſeu ſignum ſtatuunt: ex cujus veritate certò evidenter vel probabiliter inferri poſſit in particulari, hoc, vel illud eſſe conſtitutivum rei. Eſt requiſitum eſſentiale rei affirmabile de re aliqua in recto, vel ſè ſolo, ex realiter adæquatè diſtinctis, vel cum aliis diſtinctis, modô tendendi collectivô. Alii: eſt requiſitum eſſentiale, quô ſolô ablatò, per poſſibile, vel impoſſibile, &c. perit res. Utrumq; non eſt rectum.

XIX.

EX ſuppoſitione impoſſibili evidenter, in ſenſu directo objectivo ſequitur utrumq; contradictorium, nam (ut vult Ariſtoteles) admiſsô unò abſurdô

* Sicut anima rationalis, & caro, unus eſt homo; ita DEUS, Homo, unus eſt CHRISTUS *Symb. Athan.*

tera

cætera accidunt *

XX.

IMplicant connotata (R) tàm reſpectu rei connexæ, quàm non connexæ. Item implicant requiſita eſſentialia conditiona ad ſtatum contingentem rerum neceſſaria, ſeu termini connexionis conditionatæ.

---

* Neceſſe eſt enim falſa, quæ rebus falſis congruunt, & à falſis initiis profecta, vera eſſe non poſſe. *Lactant. Inſt* 3. c. 24.

Concilium Flor. contra Græcos ajens Si Spiritus S. non procederet à Filio, non diſtingveretur à Filio, intelligendũ in ſenſu reflexo præciſivo

(R) Sententia de conſtitutivis; ſigno conſtitutivi, connotatis, conducit ad explanandam naturam, & eſſentiam rerum, ſtatumq; earũ eſſentialem, & contingentem. Status eſſentialis involat identicè naturam rei, ſtatus contingens licet ſit extra rem, non eſt tamen extra denominationem rei completam. P. *Suarez ut Petrus Hurtadus de Mendoza Tract. Theol. de Incarnat. Diſp.* 21. *ſec* 4 *par.* 19. *teſtatur*, anſam præbuit huic opinioni, quam avidè arripuêre recentes, re tamen ipſa, relationem in recto conſtituit in ſolo fundamento, at in termino admittit aliquid relationis in obliquo, ut ego ſæpè dixi, Petrũ eſſe ſimilẽ Antonio in recto per albedinẽ ipſius Petri, in obliquo per albedinẽ Antonii.

Dan-

XXI

DAntur relationes (S) formaliter tales à parte rei, contra Zenonem, & antiquos Stoicos, quæ non ſunt ſuperadditæ fundamento, & termino completè ſumptis, ſuntq́; ſemper ad aliud. Quare Seneca *lib: 5. de Ben: c. 9.* dat nemo, niſi alteri, reddit nemo, niſi alteri, id, intra unum non poteſt fieri, quod, toties duos exigit.* XXII.

RElatio tranſcendentalis à prædicamentali differt, quód transcendentalis ſit eſſentialis ſuo fundamento remoto, (T) prædicamentalis adveniens **

(S) Relatio ad vocem: habitudo, reſpectus, ordo, unius ad aliud, Quo ad rem: cujus totum eſſe ad aliud. Ad aliquid ſunt, quæcunq, ipſa, quæ ſunt, aliorum eſſe dicuntur, vel qualitercunq; aliud, ad aliud, S. *Damaſcen.*

* Apud Stoicos quoſdam ambigitur, an poſſit aliquis ſibi beneficium dare, an debeat ſibi referre gratiam. *Sen, lib. 5. de Ben. c. 7*

Nemo propriè ad ſemetipſum habere charitatem dicitur, ſed dilectio in alterum tendit, ut charitas eſſe poſſit *S. Greg. in hom. 16 in Evangs*

(T) Perſonæ Divinæ ſunt relativæ. *In Symb. Athan:* dicitur: qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus, iſtæ tres Perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales.

** Imitatio, & ſimilitudo non eſt in uno ſolo, ſed in pluribus. *Anſel. in Monol. c, 50.*

XXIII.

Relatio prædicamentalis concretè; conſiſtit adæquatè in fundamento remoto, & ratione fundandi completa, diſtincta realiter à fundamento remoto, in ratione autem terminandi, purè tali, & in termino non conſiſtit. Relatio prædicamentalis abſtracta, conſiſtit in ratione fundandi completa, non autem in ratione terminandi purè tali *

* Quis dicat? Beatiſſimam VIRGINEM in primo inſtanti, quo CHRISTUM concepit, habuiſſe unam relationem Matris, & immediatè poſt, amiſiſſe illam, & acquiſiviſſe, aliam? *Suarez diſp. 47. Met: ſect: 12.* Quare, actio præterita eandem relationem fundat, non diverſam. Quædam ad alios pertinere, & ſic eſſe formata, ut tota ſignificatio illorum diſcedat à nobis.

Frater ſum, ſed alterius. Nemo eſt enim ſuus frater. Par ſum, ſed alicui. Quis eſt enim par ſibi? quod comparatur, ſine altero non intelligitur: quod jungitur, ſine altero non eſt. Sic, & quod datur, ſine altero non eſt, & beneficium ſine altero non eſt. *Sen. l. 5. de ben: c. 10*

r Q. *curioſa, an amiſſo Filio poteſt vivere Pater?*

℞. non poteſt! Periit filius? periit Pater, Dædalus amiſſô Filiô, manſit tantùm Dædàcus. Unde bene Pòëta: ſic Pater infelix., nec ſam Pater, Icare, dixit Icare, dixit, ubi es.

Stu-

XXIII.

STudinm Philoſophicum non eſt ad hoc, ut ſciatur, quid homines ſenſerint, ſed qualiter ſe habeat veritas rerum; ut D. Thom: (U) Proindé rationalis ſcientia veritatis formalis (ut vocant Logicæ) naturam inquirit, quam non in conformitate cum intellectu, & ſcientia DEI, (ut docuit Leſsius) nec in conformitate cum quodam rei ſimulacro, in intellectu efficto, (ut voluit Durandus) ſed in conformitate judicii noſtri cum ità ſe habentia rei, ſtatuit *

XXIV.

VEritas formalis Phyſica, ſtat in conformitate ſigni Phyſici cum re *vg.* Imago picta. Veritas Ethica, ſeu *M*oralis, in conformitate actionum voluntatis noſtræ cum lege Divina, tamquam regula morum. Maxima eſt quæſtio de veri-

) U) *L.* 1. *cœl, lect.* 22.

** Primus ſapientiæ gradus eſt falſa intelligere. *Lact: Inſt.* 1. *c.* 23.

Noli querere quid ſit veritas, ſtatim enim ſe opponent caligines imaginum corporalium, & nubila phantaſmatum, & perturbabunt ſerenitatem, quæ primo ictu diluxit tibi, cùm dicerem veritas. *S. Aug: l.* 3. *de Trinit:*

tánte

tate Logica, quam identificamus adæquatè actui conformi objecto, è mente Ariſtotelis dicentis: (V) in quibus veritas ineſt, & falſitas, in his conceptuum occurrit compoſitio quædam *

XXVI.

INter antiquos, & neothericos celebre genus propoſitionum quas alii inſolubiles, alii falſificantes, reflexivas alii, alii inextricabiles appellant: v. g. *Aliqua propoſitio falſa in inſtanti A. exiſtit*, docentq; ſimul poſſe eſſe veras, & falſas, loquendo tamen in fundamento Dialecticæ, ut conſentit Cicero (X) *quidquid enuntiatur; aut verum eſſe, aut falſum*, nulla propoſitio de eadem re, poteſt eſſe ſimul vera, aut falſa aut nec vera nec falſa **

(V) *l.* 5. de anima *c.* 6.

* Proprie loquendo; veritas eſt in intellectu componente. & dividente, non autem in ſenſu *S. Thom*: *1. p. q.* 16. *art*: 1.

Thales, Parmenides, Xenophanes, Heraclitus, Anaxagoras ſolam rationem eſſe criterium (veritatis) dixerunt, ſenſus autem propter illorum imbecillitatem, non poſſe vera judicare. *Cic*: *l.* 1. *de fin*:

(X) *L.* 2. *Quæſt*: *Academ*:

** O! admirabilem licentiam, & miſerabilem inſcitiam differendi: ſi enim aliquid in lo-

pro-

XXVIII.

PRopoſitiones Prophetarum *vg. CHRI-STUS naſcetur*, ſic ſentiendum de omnibus propoſitionibus contingenter veris, quòd ſemel Phyſicè eædem veræ, non poſſunt transire in falſas, nec falſæ in veras. Quare, conciliamus ſententiæ huic D. Thom: (Y) *Non repugnat idem omnino judicium mutari de vero in falſum, abſq; intrinſeca mutatione; quia illa duratio, quam concipimus, & per copulam ſignificamus, non eſt indiviſibilis, neq; omnino determinata, ſed aliquomodo indifferens & confuſá &c.* loqui illum de judicio eodem moraliter non Phyſicè.

XXVIII.

ANtiqui Philoſophi, Tullius, (Z) & non pauci Hæretici denegabant DEO ſcientiam futurorum contingentium liberorum, quam evincit Auguſti-

quendo nec verum, nec falſum eſt, certe id verum non eſt, quod autem, verum non eſt, quì poteſt eſſe falſum? aut quod falſum non eſt, quì poteſt non verum eſſe? *Cic. l. 2. Acad: quæſt: Epicureorum opinionem divexens.*

(Y) 1. *p. q.* 14. *art:* 15. *ad 3tiam* (Z) *l. de*
Fato

nus

nus, * *conſequenter negabant veritatem, vel falſitatem propoſitionum de futuro contingente libero abſoluto, & conditionato, contra Scripturam Sacram :(A) *Si percuſiſſes quinquies, aut ſexies, ſivè ſepties, percuſiſſes Syriam, uſq; ad conſummationem.* ** Thomiſtæ futura libera abſoluta, & conditionata, docent non in ſe, ſed in decreto Divino abſoluto, eſſe futura. ***

** Confiteri eſſe DEUM, & negare præſcium futurorum, apertiſſima inſania eſt *l.* 5. *de Civ.* : *c.* 9.

(A) 4*ti* Regum *c.* 13,

*** Divina præſcientia reſpicit futura ſecundùm duo, ſcilicet, ſecundùm quod ſunt in ſe ipſis, & ſecundùm quod ſunt in ſuis cauſis inquantum ſcilicet videt ordinem cauſarum ad effectus D. *Thom. in corp* : *p.* 1. 22. *q.* 71. *art.* 6. *ad* 2.

Idem D. Th. 1. *p.* *q.* 14. *art.* 13. in O. ait: contingentia 2plici modô conſiderari, v. ut ſunt in actu, v. ùt futura, tandem concludit: DEUS autem cognoſcit omnia contingentia, non ſolùm prout ſunt in ſuis cauſis, ſed etiam prout unamquodq; eorum eſt actu in ſe ipſo.

**** Et quamvis contingentia futura, prout ſunt in ſe ipſis, ſunt determinata ad unum, tamen prout ſunt in ſuis cauſis, non ſunt determinata, quin poſſit alterutrum evenire. 2. 2*dæ*, *q.* 171. *art.* 6. *ad* 2.

Futu-

XXIX

FUtura libera, ſive abſoluta, ſive conditionata, habent determinatam in ſe veritatem, vel falſitatem *vg: Antichriſtus peccabit.* (B) Unde ex duabus propoſitionibus contradictoriis, de futuro contingente, tum antecedenter ante omne Decretum DEI, tum præſcindendo ab omni Decreto decernente exiſtentiam rei futuræ, una eſt determinatè vera, altera falſa.

XXX.

ARgumentatio, ſeu veritas mediata argumentativa, vocatur, (C) ſive diſcurſus, (D) ratiocinatio, eſt oratio in

---

(B) Duplex futuritio D. Thomæ *Cauſalis* una, quam vocat *ſecundum ordinem cauſæ*, Altera *formalis*, *ſeu ſecundùm eventum*, habetur ex Ariſt l. 2. de generatione, & corruptione c. ult. tex 64. ubi diſtinguit Ly: *erit*, & *futurum eſſe*. Per *erit*, intelligit futuritionem rei *in ſe*, Per *futurum*, futuritionem rei *in cauſa*. Quod ſi verum ſit dicere, quod erit, oportet hoc eſſe quandoq; verum quod eſt, quod autem nunc verum eſt, dicere quod futurum eſt, nil prohibet non factum eſſe, quia cauſa ejus poteſt prohiberi &c.

(C) *Linceus l. 5. Dial.* (D) Omnis diſcurſus quendam motum nominat, quatenus in eo ſit progreſſus à priori cognitione ad

qua

qua ex una veritate cognita, vel pluribus, infertur alia. Species illius ſunt: Exemplum, Inductio, Syllogiſmus. (E) Syllogiſmi Species, Sorites, Dilemma, Epicherema, Enthymema Proſyllogiſmus.

XXXI.

FOrma ſyllogiſandi, ab Ariſtotele legibûs, præceptîs, ac demonſtrationibûs illuſtrata, contra, fallaces garrulos, prolixîs verbîs non rationibûs communitos, inventa eſt. Quarè benè ordinata argumentandi methodo ſequaces Protagoræ, qui Eriſticam, ſive contentioſam ſectam, diſputandiq; rationem inſtituit, & Ebulidis, qui varia fallaciarum genera, ut *Mentientis*, *Fallentis*, *Electræ*, *obvelati*, *acervalis*, *cornuti*. *calvi &c*: invenit, ipſiq; hæretici convelluntur, Veritas clariùs, & ordinatiùs menti illabitur. *

---

poſteriorem. *D. Thom*: *p*. 1. *q*. 4. *art*: 7. (E) Sacra Sciptura in formantis Syllogiſmis efficaciſſima *D. Aug. apud Rupert.*

* Ariani temerê ſentientes Verbum Divinum eſſe Creaturam, à Sanctis Patribus con victi hoc argumento: *Nulla creatura fuit ab æterno. Verbum Divinum fuit ab æterno. quia Verbum erat apud DEUM*: Ergo *Verbum Divinum non eſt creatura.* Præ-

XXII.

PRæmiſſæ formales Syllogiſmi, nec Phyſicè nec moraliter cauſant concluſionem, objectum præmiſſarum cauſat moraliter.* XXXII.

PEr ſe loquendo, poſito aſſenſu evidente præmiſſarum, & cognitîs ut verîs, intellectus ex ratione potentiæ neceſſariæ, neceſſitatur ad aſſenſum Concluſionis vg. *Quidquid DEUS dixit, eſt verum, ſed DEUS dixit Verbum eſſe Incarnatum, igitur, Verbum eſſe Incarnatum, eſt verum.* * *

---

* Error fuit Apollinaris, & Dimæritarum cum quo Ambroſius longam ſuſcepit Diſputationem, Verbum Divinum non aſſumpſiſſe Animam, ſed Corpus inanime, contra quẽ hoc Syllogiſmô: *Verus homo habet animam, Chriſtus eſt verus Homo, igitur habet animam.* Confuſus ratione conſenſit CHRISTUM aſſumpſiſſe animam, negavit aſſumpſiſſe mentem, contra quẽ *cùm CHRISTUS verus Homo aſſumpſit animam rationalem, aſſumpſit mente præditam, ſed aſſumpſit animam rationalem,* ut conſentis, Ergo *aſſumpſit mente præditam.* Ubi objectum præmiſſarum, movet intellectum rectè diſpoſitum, ad aſſenſum concluſionis.

* * Voluntas movet intellectum quantum ad exercitium actûs, quia eſt ipſum verum quod eſt perfectio intellectûs, contine-

De-

XXXIV.

DEmonſtratio debet conſtare præmiſſîs certîs & infallibilibûs, ex quibus ſequitur concluſio certa, & infallibilis, vocaturq; ſcientia (F) Meritò Iſiodorus Peluſiota ait: (G) *Si quis rem nudè affirmans, ſe demonſtratione uſum exiſtimat, is extra Doctorum contubernium eliminetur.*

XXXIX.

INventio medii, ſeu rationis ad probandam veritatem in demonſtrationibus, & locis Topicis, ſeu probabilibus Philoſophis, æquè, ac Oratoribus * neceſſaria edocetur, *quòd ad inſtituendos adole-*

---

tur ſub univerſali bono, ut quoddam particulare bonum. D. *Thom*: 1. 2. *q*. 9. *arbc*. 1. *ad* 3

(F) Magìs ſcit, qui ex ſuperioribus cauſis novit, & ſic ſcientia illa eſt magìs, & maximè ſcientia *Ariſt*: *l*. 1. *Poſter*: *c*. 11. Ibidem adfert demonſtrationes certas Phyſicè: *quod in rotam ſemper accreſcit rotundum eſt*, ſed *luna in hunc modum accreſcit*, Ergo *rotunda eſt*. (5) Epiſt. 16.

* Rhetorica latè atq; diffuſè, Dialectica autem preſsè atq; conſtrictè, nec tamen dictio ſinè diſputatione, nec diſputatio poteſt eſſe ſine dictione. *D. Auguſt. l.* 1. *contr*: *Creſc*: *Gram*: *c.* 16.

ſcen-

ſcentulos magis aptum eſt, ut ſimul appo-ſita ſit cauſa, habeant quò ſe referant (H)

XXXVI.

OPtimè Cicero, (I) non ſolùm ſcire aliquid, artis eſt; ſed quædam ars etiam docendi, proinde Methodum, ** ſeu viam brevem, & ordinatam rationem inveniendi veri, ipſiusvè cùm inventum fuerit exponendi, ad cálcem rationalis ſcientiæ, indagatricis veri; apponimus ***.

H *Cic: ad Herem: l.* 2, (I) *De legib: l.* 2.

* * Ingenii eſt marcor, cladeſq; Philaucia doctos.

Quæ peſſum multos datq; deditq; viros.

Qui veterum abjecta methodo, nova dogmata quærunt,

Nilq; ſuas præter tradere phantaſias. *Alci emblem:* 69.

Ad M. D. G.



Omnes Philoſophiæ partes tum facilè noſcuntur; cum totæ quæſtiones ſcribendo explicantur. Eſt enim difficilè pauca eſſe nota, cui non ſint pleraque, aut omnia.

Cic: Tuſcul: c: 1:

THESES PHILOSOPHICÆ.
EX PHYSICA GENERALI.
De Eſſentia & partibus Corporis.

I.

CIrca Corpus verſari ſcientiam naturalem, & de Natura ejus, ac differentia à Spiritu, moleſtam cum recentioribus inſtitui contentionem * clarum eſt. Hinc Corpus non differre à Spiritu, quòd corpus conſletur ex Materia, & forma, Spiritus ſit Subſtantia ſimplex; nec per hoc: quòd Corpus ſit diviſibile in partes, Spiritus indiviſibilis, nec per hoc: (ut vult Carteſius) quod Corpus ſit actualis extenſio in longum, latum, & profundum. **

II

SPiritum, ſeu Subſtantiam Spiritûs Auguſtinus deprehendit: *Vim quandam cogitan-*

---

*. Contentionum ſtudiis obſcurari, … [illegible] gi contemplatio rerum ſolet. Arnob: *l: 1.*

** Philoſophus Nemeſius Platonicus obſervavit. Corpus triplici dimenſione eſt præditum, at quidquid triplici dimenſione præditum eſt, non eſt Corpus, ejuſmodi enim ſunt locus, qualitas, quæ ſunt entia incorporea.

*** Cor-

cogitandi, memorandi, judicandi, volendi nolendi: Corpus; Peripatetici intelligunt, Subſtantiam completam, ſenſibilem, ſeu, exigitivam proprietatum ſenſibilium, ut quantitatis, extenſionis, figuræ, &c. *

III.

COrpus eſt triplex; Phyſicum, Metaphyſicū, Mathematicū. Proprietates Corporis naturalis Phyſici ſunt 4. Impenetrabilitas, **. extenſio, *** operábilitas, & ſuſceptibilitas proprietàtum ſenſibus percipiendarum, mutabilitas.

IV.

IN explanatione partium Corporis, & principiorum diſtractæ ſunt opiniones, quarum,

---

*. Corpora Beatorum ſubtiliſſima elevata ad ſtatum ſupernaturalem exigunt partes commenſuratas ſuis ſpatiis.

** In hoc ſenſu explicat Corpus naturale Arriaga, quod ſit Ens quantitativum per ſe impenetrabile, cum alio ejusdem ſpeciei. Spiritus verò poteſt naturaliter compenetrari cum alio.

*** In hoc ſenſu *Aug. Tom. 1. l. de quant: Anim: c. 3. ajt*: Omnia tamen rerum corporearum numero eſſe accenſenda, quæ, vel in longum vel in latū, effundūt ſe ſe, vel in genus dimēſione quapiam protenſa ſunt.

* Afalſis

quarum, Epicuri, Gaſſendi, Carteſii, non cohæret cum veritate Catholica, cum principiis philoſophicis, ac ſecum ipſa, utpote ſuis rationibus ſe evellens. *

V.

SYſtema Pythagoræ (a) rerum principium eſſe numerum cenſens, Xenophanis, Parmenidis, Meliſſi, Empedoclis, Thaletis, Platonis, Chymicorum non ſubſiſtere, quoniam illorum principia ex aliis principiis conſtitui, rationes declarāt.

VI.

IN Syſtemate Peripatetico Latino datur materia prima, ** ſeu pars communis *

---

*. A falſis principiis profecta, vera eſſe non poſſunt *Cic: acad:*

(a) Theano Sapientiſſima fæmina quæ Pythagoram Conjugem ſuum audivit; conquerebatur apud Stobæum, dici à Græcorum multis, aſſeruiſse Pythagoram omnia ex numeris generari, cum ille non ex numero, ſed ſecundùm numerum generari omnia autumaverit.

** Tu Domine feciſti mundum de materia informi. S. Auguſt. *L. 12. Confeſs: c. 18.*

nis * Subjectum primum, in quod, ultimò reſolvuntur omnia Corpora, & forma ſubſtantialis, tanquam radix proprietatum ſenſibûs perceptibilium, diſtincta. **

VII.

PRincipium juxta Ariſt: (b) *Eſſe primum unde aliquid, eſt, aut fit, aut cognoſcitur.* Vel, è mente ejusdem, principia eſſe *quæ neq; ex ſe, neq; ex aliis, ſed omnia fiunt ex ipſis*, conſentiente in eandem principii declarationem Tullio, (c) & Platone. (d) Horum principiorum in facto

---

* Nihil ex integro perit, ut ſenſit. *Ovid. L. 15. Metam:*

Nil perit in toto quidquã mihi credite mundo,
Sed variat, faciẽq; novat, naſciq́, vocatur.
Incipere eſſe aliud, quam quid fuit, ante, moriq́;
Deſinere illud idem cum ſint, huc forſitan illa,
Hæc tranſlata illuc.

** Forma ſubſtantialis Peripatetica apud Ptolomeũ appellatur *Species, decor Corporis, Divinũ exẽplar, character, expreſio ideæ*, quod non à materia, ſed ab illa procedat diſcrimen univerſi (*b*) 15. Metaph. *c. 1.* (*c*) Queſtæ: Tusc 3. Principii nulla origo, nam ex principio oriuntur omnia, ipſum autem ex re nulla naſci poteſt.
(*d*) in *Phædro* Principium verô ſine ortu eſt, ex principio enim neceſſe eſt quidquid generatur oriri, ipſum autem ex nullo.

(c)

facto eſſe ſunt materia, forma ſubſtantialis, unio.

VIII.

PRæter formas ſubſtantiales dari accidentales, ſeu accidentia materialia abſoluta, antiquis Philoſophis, teſte Bellarmino (e) non ignota; certum eſt Peripateticis. Hinc explicatio Maignani, Gaſsendi, Carteſii, Durandi, aliorumq; in elucidatione ſpecierum Euchariſticarum; non eſt conformis Conciliis,* SS. Patri-

(c3)

(e) Ariſt: Lib: 3. de anima. Tex: 9. dicit: *Aliud eſt magnitudo, aliud magnitudinis eſſe.* Quodſi ipſum eſſe, ideſt, exiſtentia accidentis diſtingvitur ab ejus Eſſentia, certè multò magis inhærentia diſtingvetur, quæ eſt modus quidam exiſtentiæ.

Ad accidentis eſſentiam pertinere inhærentiam in Subjecto, negant, non ſolum veteres Patres, ſed omnes Theologi, & Philoſophi Chriſtiani, ac etiam multi ex Ethnicis. Bellarm: *Lib* 3. *Cap:* 24. de Sacram: Euch: *pag:* 782.

* Sotus ait: in 4. Diſp. 10. q. 2. Art: 2. *Accidentia panis & vini relinquuntur in hoc Sacramento ſine ſubjecto.* Et mox *hanc* inquit *Concluſionem, cùm Catholica ſit, nefaria eſſet hæreſis, negare 1. ob univerſam SS. Patrum authoritatem, 2. quia in propria forma contraria hæreſis in Conc: Conſtant: Seſſ: 3. condemnata fuit, contrá Ioannem Wicleff:, decretumq; eſt manere accidentia ſine ſubjecto.,* Car-

bus & rationi * IX.

MAteria prima ſortita eſt Eſſentiam, & exiſtentiám propriam à DEO per creationem, diſtinctam ab eſſentia & exiſtentia formæ & compoſiti, non diſsentiente etiam D. Thoma (f) docente: ex duabus Subſtantiis actu exiſtentibus incompletis, poſſe fieri unum.

X.

DAri appetitum innatum ad bonum in rebus tum animatis, tum inanimatis, conſtat ex definitione boni: *Bonum eſt*,

quod

* Cardin: de Lugo Diſp: 10. ſect: 1. In Eucharſtia certum; & de fide eſt, *manere aliqua accidentia*, ut habetur in Conc: Floren: Lateran: Tride: Conſtan: *Certum eſt, etiam manere ſine ſubiecto*, ut habetur in Seſs: 3. Conc: Late:

(f) q. unica, de An: Ar: 2. apud P. Aller. diſp: 1. Phy. & 2. Sect. 3. qui cũ objeciſſet ſibi hoc modo. *ex duabus ſubſtantiis actu exiſtentibus non fit unum per ſe, ſed tam Corpus, quàm intellectus, eſt ſubſtantia exiſtens actu, non igitur intellectus poteſt uniri Corpori, ut ex iis fiat unum per ſe.* Ita reſpondet: *dicendum; ex duabus ſubſtantiis actu exiſtentibus, & perfectis in ſpecie* (phyſica) *ac natura, non fit aliquod unum per ſe* (intellige naturaliter quoniam Totum hypoſtaticum conſtat duabus naturis Divina & humana perfectis) *Corpus autem, & anima, non ſunt tales, Er ex illis poteſt fieri unum per ſe.*

quod omnia appetunt. (g)* Voluntas appetit bonũ, ut bonum, malum, ut malum appetere non poteſt. Materia prima magis appetit formas materiales, ut bonum, magis ſibi connaturale, quàm ſpirituales.

XI.

PEr illa Verba: (h) *Terra autem erat inanis & vacua*, intelligit Auguſtinus, (i) & S. Thomas (k) materiam initiô creationis ſuæ extitiſse ſinè ulla

forma

(g) L. Ethic. cap: 1.

* Eſt quædam appetitio naturalis ea, quæ ſecundùm naturam ſunt, appetens. Cic: L. 4. defin: Amorem in rebus omnibus regnâſſe ajebant veteres, quibus præeſt *Aſtartha*, ſeu *Venus*, DEA amorum, ut putat, Tullius L. 3. de Nat: Deorum.

(h) Gen: 1. (i) L. 12. Confeſſ: Nonne tu Domine docuiſti, quod, priusquam iſtam informem materiam formares atque diſtingveres; non erat aliquid, non color, non figura, non Corpus, non Spiritus, tamen non omnino nihil erat, erat enim informitas quædam ſine ulla ſpecie. Cur ergo non accipiam informitatem materiæ, quam ſinè ſpecie feceras? (k) apud P. Aller diſp: 2. § 3

forma, *ſeu ſpecie*. Quamobrē, materia prima non dependet, ab intrinſeco, ſtrictè phyſicè, à formis ſubſtantialibus, ſed latiùs, ratione agentium naturalium, quæ poſt Creationem materiæ, in continua corporum mutatione, nunquam deſeruerunt materiam, formæ non unitam.

XII.

FOrma, non eſt tota quidditas compoſiti ut cenſuit Albertus M. Zemara, Pereira, & quidam Antiquiores docentes, *eg: animam rationalem* eſſe totum hominem, Corpus, quid alligatum homini, & includens hominē; non ſecus, ac carcer includit reū * XIII.

FOrmæ Subſtantiales materiales non præexiſtunt ſecundùm ſe totas in materia; ut volebant antiqui Peripatetici ** nec

* Animal totū, vocatur anima ſimul, corpusq; compactum, & mortale animal cognominatum. Plato in Phædro. Augu: in Expoſit. pr: 145. Nihil invenimus amplius in homine, quàm carnem, & animā. totus homo eſt, Spiritus, & Caro.

** Qui cenſebant nullas formas de novo produci, ſed omnes concreatas à DEO, per agentia verò naturalia, illas educi, & palam fieri.

nec ſecundùm ſua inchoamenta; ut Albertus M; ſed exiſtunt virtualiter in materia prima. *

XIV.

NOn datur forma Corporeitatis in ſenſu Avicennæ. Dantur tamen formæ ſubſtantiales partiales in Compoſitis heterogeneis viventium, adeoq́; oculus ab oſſe, nervo, carne, differunt ſubſtantialiter: & forma Cadaverica ** ſubſtantialis non admittitur.

XV.

ANima rationalis initiô conceptionis non infunditur primò ut exerceat

operati

* Kircherus docet, in Itiner: II. dialog: II. creaſse Deum chòaticam illam primævæ materiæ maſſam, in qua, uti omnes rerum producendarum formæ, omnia rerum ſemina, veluti ſub confuſa, & indigeſta mole, virtute, & poteſtate continebantur, ita in vegetabili & ſenſitivæ Naturæ productione, &c.

** Marſilius apud Lynce cenſet Corpus Chriſti Domini, in triduo mortis, omni forma, etiam cadaverica caruiſſe. (I) Can: 1.

**

operationes vegetativas tantúm, deinde ſenſitivas, tandem intellectivas, nec efficit ſibi organa.

XVI.

NOn dantur in uno Corpore quot gradus viventis, tot animæ diſtinctæ: vegetativa, ſenſitiva, & rationalis, ut antiquiores cenſebant, quos damnavit Synodus generalis octava Conſtantinopolitana. (l)

XVII.

FOrmæ non ultimæ totales poſsunt naturaliter uniri uni eidemq́; Corpori, ut patet in ferro ignito. Formæ tamen ultimæ, ideſt completæ per omnia ſua accidentia, non poſsunt naturalî modò uniri uni eidemq́; corpori adæquato, poſsunt tamen divinitus. Et plerumque in monſtris duæ animæ duas materias adæquatas & duo Corpora ſupponunt. **

Spiri-

** Rituale Romanum docet in monſtro habente duo pectora, *totidem eſſe corda, & animas hominesq́; diſtinctos, & eo caſu ſingulos ſeorſim baptizandos.*

XVIII.

XVIII.

SPiritum, ſeu animam mundi ut Pneumocoſmicorum ſententia cenſuit, nec tranſmigrationem animarum ut cenſuit Plato, de uno Corpore in aliud * admittere ſvadet ratio, nec unam formam totalem vg. Animam rationalem, naturaliter poſſe informare duo Corpora humana adæquata, ſimul, vel ſucceſſivè, poſſe tamen divinitus.

XIX.

UNio eſſentialis ** inter materiam & formam eſt quid ſuperadditum, popoſitivum, modale, ſicut unio moralis inter amicos. Proinde dantur modi ſtrictè tales.

---

* Plures Indorum Brachmanes, hæretici etiam Albingenſes, (quos redarguit D. Thomas,) Ath: errori huic adhæſerunt. Veteres Phariſæi tranſmigrationem ſolis bonis concedebant, ideo cenſebant Chriſtum redivivum Joannem, quòd anima Joannis in Chriſtum transmigraſſet.

** Unio *eſt nexus* vel ut Lince, *Communicatio duorum.* Iuxta D. Thom: Unio Hypoſtatica, eſt major communicatio.

XX.

XX.

IN compoſito humano datur unica unio eſſentialis, quæ utrumque extremum unit, quæ eſt Subſtantia, & conſtitutivum. *

DE TOTO, NATURA, & ARTE.

XXI.

TOtum phyſicum ſubſtantiale, non diſtingvitur realiter à ſuis partibus collectivè: quamobrem hic numerô homo vg Alexander Magnus, nec divinitus poteſt eſſe, alius, ab hac numero materia, anima, & unione; ac ſeperabilis ab iiſdem. **

---

* Curioſa eſt Quæſtio. An Nabuchodonozor Rex, revera, mutatus in bovem, ſoluta unione a Corpore humano? ℟. fuiſſe hominem, & bovem. Ratio eſt, quia non fuiſſet punitus ut homo, qui peccaſſet, ſed bos pro illo. Quoad externam figuram fuit bos impos rationis, habuit tamen lucida intervalla, ut agnoſceret ſtatum in quo fuerit.

** Curioſa quæſtio, an idem numero homo cum alio numero Corpore reſurgere poteſt? ℟. Non, *quia reſurrectio* juxta Damaſc: L. de fid: c. 28. *nihil aliud eſt, quàm ſecunda ejus, quod cecidit ſurrectio.*

*Amor

XXII.

NOmen Naturæ competit DEO, qui eſt Natura naturans, Creaturæ, quæ eſt natura naturata; eſſentiæ rerum, collectioni univerſi, naturali temperamento, Cauſis rerum naturalium, in quo ſenſu dicitur *Natura nil facit fruſtra.* Tandem competit principio radicali omnis operationis & motûs intrinſeci ſenſibilis & inſenſibilis.

XXIII.

NAturale, opponitur etiam violento, eſtq; illud, quod contravenit exigētiæ, & inclinationi alterius, renitente altero. Violentiam poteſt inferre creaturis DEUS, ſecundùm naturam particularem, ſingulis rebus creatis propriam, * non tamen ſecundùm naturam univerſalem, ſeu toti univerſo propriam, quæ eſt moralis quædam unio ,ſingularum naturarũ in unũ finẽ conſpirantium.

---

* Amor naturalis eſt in omnibus rebus, cum unumquæque res habeat connaturalitatem ad id, quod eſt conveniens ſecundùm ſuam naturam S. Thom: 1. 2. q. 26.

XXIV.

ARs non poteſt efficere opera naturæ, poteſt tamen juvare & imitari, * virtute aliena applicando activa paſſivis. Poteſt ars efficere opera Naturæ, tum accidentalia vg per applicationem herbarum, ſanitatem, tum ſubſtantialia vg per vitrũ uſtivũ, producendo ignem. **

XXV.

APplicando activa paſſivis per artem quædam animalia minùs perfecta *** poſſunt produci, non tamen perfecta. An verò juventus arte poſſit reſtitui teſtantur

---

* Apelles, ſuô penicillô Alexandrum M. dextrâ tenentem fulmen ita adumbravit, ut digiti eminere, & fulmen extra tabulam eſſe videretur, unde; vulgò dictum fuit: duos eſſe Alexandros, alterum Philippi filium, nullo, Marte ſuperabilem, alterum; Apellis fætum, nulla arte imitabilem.

** Architas columbam ligneam perfecit quæ mira celeritate per àërem volitabat.

*** Radivilius in peregrin: refert: apud Ægyptios ex ovis gallinaceis fornaci artefactæ impoſitis levi calore Solis pulli educuntur.

XXVII,

ſtantur hiſtoriæ apud Maffeum de Nobili, qui annôs 200 vixit, & ter ad juventam redibat.

XXVI.

MIracula, nec naturâ, nec arte poſſunt fieri; quoniam miraculū: *opus excedens vires naturæ*, & ſolus DEUS poteſt principaliter patrare mira cula.

XXVII.

MAgia: eſt *facultas efficiendi quædam mira ac inſolita vî createâ & nō ſupernaturalî, quorum ratio ſenſum ac communem hominum captum excedit.* Hæc eſt triplex: naturalis * Artificialis, & dæmoniaca. Dæmoniaca; alia præſtigiatoria, alia Malefica, Divinatoria, ſuperſtitioſa.

XXVIII.

OPe magiæ dæmoniacæ non poſſunt fieri miracula. Unum vivens non

poteſt

---

* Gianelli Turiani in Hieronymitana Caroli V. aſceſi opera deſcribit Strada: armatas hominum & equorum icunculas induxit in menſas, alias tympana pulſantes, tubîs alias occinentes, ac nonnullas ex eis feroculas ac infeſtis ſeſe haſtîs incurſitantes.

poteſt transmutari in aliud. Poſſunt tamen ope Dæmonis, corpora, brevi tempore, de loco, de facto transferri in alium, in àëre violenter detineri, immutari elementa, * morbi induci, &c.

XXIX.

CHryſopæia, ſive, Alhrymia alio nomine. *Eſt ars conficiendi aurum per converſionem*, difficile datur, eſtq; fallax, plurimū pernicioſa. ** & lege prohibita.

DE CAUSIS.

XXX.

DAntur Cauſæ veræ, & reales, tanquam principia extrinſeca, virtute ſua productiva rerū, quas nonnulli Philoſophi requirunt; nil de novo fieri, aſſerentes. Antiqui verò de earum exiſtentia

---

* Empedocles, ex pacto cum Dæmone ſcribitur, ventos compeſcuiſſe, admovendo cacuminibus montium pelles aſinorum excoriatorum. De illo Clem: Alax: ſtrom: 6. *Empedocles Agrigentinus, venti prohibitor, fuit cognominatus.*

** Condidit ex nihilo DEUS unicus omnia; contra

Tu facis, ut fiant cuncta, Chymiſta, nihil.

tia dubitabant. Nobis experientia, & Scriptura (m) earum exiſtentiam declarat, tum expreſſè Conc: Tridenti: (n) damnat ſentientes: *Liberum arbitrium creatum nil omnino agere, merèque ſe paſsivè habere.*

XXXI

IMplicat ut aliquid cauſet ſe ipſum phyſicè, immediatè, efficienter tam quòad primò eſſe, ut volunt evincere Athei, quàm quòad ſecundò eſse naturæ; ſeu, nihil poteſt eſſe ſui ipſius cauſa efficiens phyſica; ut Bernardus. (o) *A ſe cæpit nihil, niſi forte quis putaverit, quod non erat, dari ſibi potuiſſe, ut eſſe inciperet, aut fuiſse aliquid, antequam eſſet.*

XXXII.

IMplicat ut duæ res, vg: duo ignes, mutuò ſe producant quò ad primò eſſe Naturæ. Implicat ut cauſa efficiens phyſica

(m) *Germinet terra herbam virentem, & producat terra animam viventem.* Gen: 1. *Arbores cum producant jam ex ſe fructum* Luc: 21.
(n) ſeſſ. 6. Can: 4. (O)

ſica immediata producat effectum tunc, cum non eſt, ſed præextitit *

XXXIII.

NUlla Cauſa efficiens poteſt agere indiſtans naturaliter, ſeu non agendo, nec per medium, id eſt, non diffundendo virtutem ſuam, nec in medio, cum vg Sol producit lucem in cubiculo, eandem producendo priùs in àére, nec cum medio, id eſt, cum alia cauſa interpoſita; vg ignis in extrema parte ſylvæ totaliter ſuccenſæ, ſimul cum reliquo igne inter-

---

* Niſi quis inſaniat ut id quod non eſt, ejus quod eſt cauſam eſſe affirmet, aut rurſus, cujus illud ipſum quod eſt, ex alio ſic pendet, ut abſque illo eſſe nequeat, ejus ipſius ex quo pendet, cauſam eſſe velit. Greg: Thaum: Diſput: de an: *Curioſum.* Cum Alexander ſagittam dirigit ad cor Ioannis, illudq; transfigit, antequam tamen ſagitta attingát cor, Alexander moritur, quis eo caſu eſt cauſa occiſionis? R. Cauſa principalis immediata, in genere *moris*, quatenus illi primariò, ex propria electione operanti imputantur effectus quô ad rationem inhoneſti, eſt Alexander, cauſa in genere efficientiæ phyſicæ immediatæ, quatenus ab illa immediatè phyſicè procedit actio occiſiva eſt ſagitta, & impetus ſagittæ impreſſus.

intermedio producit calorem in hominibus ſtantibus ante ſylvam. Hinc experientiæ plurimæ ſolvuntur per qualitates Sympathicas, Anthipaticas, occultas *

XXXIV.

DUæ cauſæ totales non poſſunt naturaliter ſimul producere eundem numerô effectum, quia altera actio eſſet ſuperflua in ordine ad effectum naturaliter producendum. Et hæc eſt ratio; cur S. Th. (p) neget quemlibet Sacerdotum in ordinatione operari in virtute propria, & celebrari, *quia ſuperfluerent alii celebrantes.* Poſſunt tamen producere de-

(d2) poten-

---

* Quæſtio curioſa. An cadaver occiſi ad præſentiam occiſoris emittat ſangvinem naturaliter? ℞. cum P. Kirchero: naturaliter. Quia in utroq; vehementiſſimi affectus odii, iræ, vindictæ, commota bile generant pravas infectiones, quæ ſe mutuò inficiunt, hæ infectiones in utroq; perſeverant, & in debita diſtantia Anthypathicè ſecum diſſideat, concitant ſangvinem occiſi, & vi refactiva expellunt illum per aperta vulnera.

(P) p. 3. q. 82. a. 2. ad 2.

potent entia Dei * XXXV.

ACcidens non poteſt eſſe cauſa adæquata ſubſtantiæ vg. calor ignis, quoniam juxta Axioma in cauſis: *Cauſa non poteſt commnnicare per influxum realem effectui aliquod prædicatum, quod ipſa in ſe non habet, vel æquè perfectè, vel perfectiùs.*

XXXVI.

DAntur cauſæ finales, quarū gratiâ aliqua fiunt. Bruta tamen non agunt propter finem formaliter & propriè, ut voluerunt nonnulli, quoniam per reflexam cognitionem non cognoſcunt mediorum connexionem, & proportionem per diſcurſum. **

---

* Quæſtio *Curioſa.* An orbis terrarum per vectem moveri poſſit, à quovis minimo pondere, aut potentia? ℟. Demonſtrant Mathematici in vecte primi, & ſecundi generis, quo quodvis pondus, etiam orbis terrarum, à quavis potentia moveri poteſt, ut ita non ſit arrogans illud Archimedis: *Da mihi ubi ſtem, & terram movebo.*

** Apollonius, Tireſias, Thales, Empedocles, Anaxagoras, Plato, & alii aliquam vim rationis attribuebant brutis. Plutarchus in Dialogo qui inſcribitur: *Quod brutis ratio inſit*: diſerta oratione eos reprehendit, qui ſoli homini vim rationis tribuerunt.

XXXVII.

CAuſæ per accidens ſunt; quæ producunt effectum præter intentionem, connexum cum effectu per ſe intento, vg. foſſio intenta tantùm pro eruendis lapidibus reſpectu inventi theſauri. Cauſæ per accidens dividuntur, in caſum, fortunam, & fatum. XXXVIII.

CAſus datur in irrationalibus, & effectus illius dicitur cauſalis. *Fortuna* in rationalibus, & effectus illius dicitur fortuitus. Utrumq; non datur in DEO, ut Aug: (Q) Nomen fati ſuſpectum eſt: * In ſenſu Catholico acceptum: *Eſt ſeries cauſarum ſecundarum Divinam Providentiam exequentium.*

(d3) XXXIX.

(Q) l. 13. quæſt: *Quidquid caſu fit temerè fit, quidquid temerè fit, ſine Providentia fit, ſed nihil extra Divinæ Providentiæ regulam fit, Ergo: reſpectu illius nihil temerè, vel caſu, & fortuito fit.*

* Per fatum *imo.* intelligitur ab Aſtrologis nonnullis volentibus inevitabilem quandam neceſſitatem ex ſideribus ortam, quam nemo poteſt impedire. *2do:* Apud hæreticos Decreta Divina fatum ferreum appellabantur, quo dicebant Deum vim, & neceſſitatem cauſis etiam liberis inferre.

XXXIX.

DE ACTIONE.

ACtio Cauſarum eſt idem cum paſſione, ut Ariſtoteles docet, actionem & paſſionem inter ſe differre; ut via Athenîs Thebas: & Thebîs Athenas, & ut S. Thomas: (R) *Actio & paſſio non ſunt duo motus, ſed unus idem motus.*

XL.

DAtur reactio, ſeu actualis reſiſtentia paſſi, omne enim agens, quod communicat in materia transmutabili cum paſſo, eſtque intra ſphæram activitatis paſſi, repatitur, ut quod ſecat, hebetatur ab eo quod ſecatur, quod calefacit, refrigeratur.* Datur res quæ agunt Antiperiſtaticè, ſeu dum contrariîs obſidentur, magis intenduntur vg. manus nive confricatæ incaleſcunt. ** XLI.

(R) *3. Phyſic: lect: 5.*

* Q. an ignis refrigeret? ℞. per antiperiſtaſim ignis verè refrigerat. Sic aqua fervens expoſita ſoli citius frigeſcit quàm in umbra ** Ob hanc rationem calor ventriculi hyeme major eſt; quàm æſtate, nam ab agente contrario circumdatur, intenditur, & fortificat ſe ipſum contra contrarium. aër in cavernis calidior eſt hyeme, quam æſtate

XLI.

DAtur actio directa, qua agens immutat paſſum vg. ignis lignum, & reflexa, qua paſſum; vi qualitatis acceptæ per actionem directam agentis agit, non in agens, ſed in paſſum ſibi propinquum; vg. cum ſolis radii agunt per actionem reflexam in aqua, in homines navigantes.

XLII.

DAntur actiones per Sympathiam, quæ eſt amica affectio unius ad alterum, & per Antipathiam, quæ eſt inimica affectio unius ad alterum. *

DE Proprietatibus Corporis.

XLIII.

DAtur quantitas in corporibus, quæ

 eſt acei-

* Braſſica rutam, vitis hæderam refugit, proximè implantata areſcit. Avis *Galgalus* dicta, oculos in ictiricum deſigens ſibi morbum attrahit, ægro ſanitatem adfert. Q. An per viſum & vocem fit infaſcinatio? ℞. nudus aſpectus, nuda vox naturaliter non eſt cauſa infaſcinationis, quòdſi ſeqnitur ex illis infaſcinatio, cauſa ſunt noxii humores, ex oculis, ore, & naribus; fieri etiam áliquando ope dæmonis.
Ita Delrio Diſp: quæſt: mag: p. 1. q. 3. ſect: 2.

eſt accidens, abſoltum, & conſiſtit in exigentia impenetrationis cum alio ejusdem ſecum rationis, *eg.* duo corpora quantæ, ignis & lapis, non poſſunt ſecum compenetrari, ſeu exigunt ne poſſint exiſtere in eodem loco adæquato. *

XLIV.

Continuum quantum *vg.* lignum palmare, Ariſtoteles docebat nullîs conſtare punctîs, ſed merîs partibûs in infinitum diviſibilibus. Zeno oppoſitùm, nullîs

* Q. *Curioſa.* An Diabolus poteſt facere ut corpora ſe penetrent? ℞. non poſſe, cum hoc ſit ſupra vires naturæ. Dæmon tamen; *v.* ſagæ, ope dæmonis, adeo celeriter & ſubtiliter feneſtras & oſtia aperiunt, & claudunt, ut dormientes non excitentur, aſpicientes non advertant, ſicut Angelus educens Petrum è carcere, ita ut milites non adverterent. ** Punctum juxta Euclidem, cujus pars nulla eſt. Punctum & triplex: *Phyſicum & Mathematicum*, ſcilicet: quod in entitate nullas partes habet etiam quò ad locum: talia admiſit Zeno. Huic apponitur punctum Phyſicum tantùm, quod eſt idem indiviſibile in entitate, virtualiter tamen eſt diviſibile quò ad locum, quatenus quemadmodum anima rationalis coexiſtere poſſit, ſpatio diviſibili. 2*dum Metaphyſicum*: quod realiter eſt diviſibile: concipitur tamen ut indiviſibile: 3*tium*: *Morale*: eſt minimum aliquod in ordine ad nos, diviſibile in partes *vg.* cuſpis acûs.

liſs partibus in infinitum diviſibilibûs ſed merîs punctîs ultimò indiviſibilibus.

XLV.

DAtur Infinitum Syncathegorematicum, ſeu dantur creaturæ actu, & aliæ in infinitum producibiles, in quibus poſſibilis eſt proceſſus in infinitum, contra nonnullos hæreticos admittentes per productionem hujus Mundi exhauſtam eſſe Omnipotentiam DEI, damnatos in Concilio Conſtantienſi (S)

XLVI.

QUamvis DEUS omnia in pondere, numero, & menſura diſpoſuerit, poſſibile eſt tamen infinitum * Cathegorematicum in

(S) ſeſſ: 15. Ioannis Huſ adducuntur verba: *DEUS nihil poteſt annihilare, nec mundum majorare, & animas ſolùm ad certum uſque numerum poteſt producere, nec ultra.*

* An numerus arenæ maris ſit infinitus? ℞, Archimedes ſolvit hoc problemma. Imò ſi mundus eſſet repletus minutiſſimûs arenulîs, uſq; ad firmamentum, invenit numerum earũ: eſt autem iſte, unitas cum quadraginta novem cyfris, hoc eſt decies mille milliones millionum, millionum, millionum, millionum, millionum, millionum &c. Subtiliſſimam demonſtrationem hujûs, optimè declaravit Clavius in; C 1. ſph:

in multitudine, extenſione, & intenſione quod nullo fine clauderetur. *

XLVII.

MULta DEUS non poteſt facere juxta Auguſtinum: (T) *quia non poteſt hoc; ne poſſit non eſſe*, idcirco non poteſt etiam creaturam perfectiſſimam, & imperfectiſſimam producere, poteſt tamen infinitam in perfectione.

XLVIII.

LOcus extrinſecus *eſt ſuperficies prima, & immobilis corporis ambientis.* Locus intrinſecus eſt ubicatio formalis conſiſtens in accidente modali ſuperaddito loco, & rei locatæ. Locus aliquando accipitur *pro ſolo ubi circumſcriptivo*, in quo ſenſu docet Auguſtinus non ſolùm DEUM, ſed & animam rationalem, eſſe illocabilem.

XLIX.

UNum corpus non poteſt eſſe in duplici loco adæquato, nec duo corpora

---

(T) L. 1. de Symb. ad Catech: quam multa non poteſt DEUS & Omnipotens eſt, & ideo omnipotens eſt, quia illa non poteſt

pora in uno loco adæquato. Unde; non datur replicátio, penetratio naturaliter, datur Divinitùs. *

L.

DEUS eſt eſſentialiter immenſus, & ob ſuam immenſitatem neceſſariò ubique diffuſus, quamobrem eſt etiam in ſpatiis imaginariis; ut Job (u) dicitur: *Celſior cælô, & profundior infernô.* *

LI.

DAtur tempus de quo loquitur Auguſtinus: (Y) quid eſt tempus, ſi nemo ex me quærat, ſcio? ſi quærenti explicare

---

(U) C, 11. v. 8.

* S. Dyoniſius de Div: Nom: c. 1., DEUS in cælo eſt, atq; in terra, in mundo, circa mundum, ſupra mundum, & ſupra cælum.

(Y) l. 1. Conf: C. 21.

* Quæſtio curioſa. An Dæmon efficere poſſit ut idem corpus ſit in diverſis locis? ℟. Refert Origenes l. 6. contra Celſum Pythagoram eodem tempore in duabus urbibus conſpectum, Berengarium hæreticum, & magum eadem nocte Romæ fuiſſe, & in Turonenſi Eccleſia lectionem decantaſſe, tradit in Chronica Nangiacus An: 1045.

℟. hoc non obſtante dæmonē non poſſe efficere. Ad exempla dico: id v. per præſtigias & oculorum illuſiones contigiſſe, v. dæmonē abſentes in corpore repræſentaſſe.

plicare velim neſcio? Dividitur in Aſtronomicum, Politicum, Eccleſiaſticum *

LII.

NOn datur vacuum naturaliter, contra Stoicos & Pythagoricos, Epicurum, Democritum aſſerentes principium corporum eſſe vacuum, & contra nonnullos recentiores, inter quos Valerius Magni, qui Vacuiſtæ appellati. Poteſt dari Divinitus, contra Carteſium docentem, nec de Omnipotentia DEI poſſe ſpatium nullo repletum corpore admitti. ** LIII.

---

* Archimedes Philoſophus interrogatus quid tempus eſſet? Tempus, inquit, eſt *inventor omnium rerum novarum, & commentarius antiquarum.*

Q. An omnia tempus habeant? R. ſola veritas interitûs & finis expers; illud habet præ cunctis rebus privilegium, quòd de tempore ipſa, non de ipſa, tempus triumphat.

** Quidam dictus *Magnus*, per aliquot experientiunculas falſas regnante Vladislao IV in Polonia, conabatur evincere dari naturaliter vacuum; editô libellô, cui titulum præfixerat: *Demonſtratio ocularis dari vacuum.* Sed hanc demonſtrationem vacuam oſtendit in Polonia P. Kojałowicz libèllô cui Titulus: *Oculus ratione correctus.* P. Caſotti in Italia, libellô cui Titulus. *Vacuum proſcriptum*: Nonnulli apud Plut: l. 1. de Plac: Phil: putabant extra mundum eſſe vacuum, ut mundus reſpirare poſſit.

LIII.

LIcet nulla creatura extitit ab æterno, potuit tamen tam permanens, quàm ſucceſſiva extitiſſe. *

DE MOTU.

LIV.

MOtum quidam negarunt, quòd, quomodo fieret ignorarent, ut ait Galenus, (z) alii, omnia moveri exiſtimabant. Inter ſpecies motûs alterationis, generationis, augmentationis, datur motus lationis, ſeu localis. Motus localis eſt ſuperadditus rei mobili, & loco. Velocitas illius explicatur per morulas pauciores, tarditas, per morulas & & inter-

* Quæſtio curioſa. An interitus mundi poteſt prædici? ℟. Scriptum eſt: *de die autem illa, & hora, nemo ſcit; neq; Angeli cælorum.* Mat: 24. Ad mortē ſcilicet Antichriſti inquit Cornelius, eâ verò peractâ inquit ille, probabiliter cognoſci poteſt, licet non certò ſciri.
Q. 2. Qua die fiet Reſurrectio? ℟. Probabile, die Paſchatis quô Chryſtus reſurrexit. Q. 3. Quot dies erunt à nece Antichriſti ℟ (ut Hier: eruit ex verbis Dan:) præcisè 45. ad diem judicii. Q. 4. Quo die occidetur Antichriſtus? ℟ Finitis bacchanaliîs, prima die Quadrageſimæ, dabiturq; deinde Quadrageſima tota lapſis, ad pænitentiā, ut ſe præparent ad ultimū Paſcha.

(z) l. an ſangvis in arter: contineat, &c. t. 1.

nterruptiones repetitas. *

LV.

HOc axioma: *quod movetur ab alio movetur.* intelligendum, gravia & levia moveri efficienter, ac principaliter à ſuis formis ſubſtantialibus.

LVI.

MOtus elaſticus datur, qui eſt corporis reductivus ad priſtinum ſtatum violenter dimoti, ut patet *in arcu intenſo*: corpus ejusmodi dicitur *elaterium*, virtus productiva ejusmodi motûs, dicitur virtus, ſeu *vis elaſtica*, qua corpora compreſſa, aut tenſa, redeunt, ad priſtinam figuram, & partium diſpoſitionem.

LVII.

PRojecta moventur per impetum illis impreſſum à projiciente. Motus reflexus projectorum fit ab impulſu illis impreſſo à projiciente, à corpore à quo fit re-

---

** Localis motus apud Democritum tantùm obliquus, apud Epicurum per lineam, & in flexum. Heraclitus quietem, ſolis mortuis, admiſit, motum, æternis æternum, interituris, interiturum. Plut. de plac. Phil. C.23.

ſit reflexio. * In puncto reflexionis n datur quies. LVIII.

IMpulſus projectis impreſsus: eſt qualitas per ſe ordinata ad motum localem efficiendum **

EX PHYSICA PARTICULARI DE MUNDO.

I.

MUndus ab Ariſtotele definitur; eſt compages ex cælo terraq́; còagmẽtata, atq́; ex eis naturis quæ in terra concontinentur. ***

II.

MUndus unicus ſtatuitur dari, contra antiquos Philoſophos Pythagoricos, qui ſtellam dixerunt eſſe mundũ in æthe-

---

* Proprietates motûs localis ſunt: *quantitas, determinatio, compoſitio, reflexio, refractio, acceleratio.*

** Quæ cauſa motûs terræ ? ℞ Spiritus infra terram generatus, & accenſus, vel concitatus, dum non poteſt erumpere, ſed ſerpit in viſceribus terræ, Q. 2 Quæ ſigna motùs terræ. ℞ Præter multa: Seneca adfert intempeſtivam ſerenitatem, quæ tempore Neronis, motum terræ Campaniam concutientem præceſſit.

*** Mundum 4druplicem contemplabatur Plato: Archetypum, intellectualem, cæleſtem, elementarem.

in æthere infinito, terram, & aërem continentem, & Orphei Sectatores, qui ſingulas ſtellas, mundos dixerunt *

III

PLures mundi ſolùm poſſunt dari, contra Carteſium, volentem mundum non poſſe eſſe niſi unicum. Item contra Anaximenem, Epicurum plures ac infinitos mundos diſtinctos aſſerentes. ** Epicurus *intermundia* admiſit, ſeu ſpatia inter mundos vacua.

IV.

MUndus eſt finitæ magnitudis, contrà, quàm aſſeruit Leucippus Diogenes, Plinius, infinitam mundi magnitudinem edocentes, Carteſius indefinitã.

V.

VI.

---

* Xenophanes apud Cic: l. 3. q: habitari ait, in luna, eamq́, terram multarum urbium & montium. Hanc opinionem illuſtravit *Hugenius* in *Coſmotheoro*, ſive conjecturis de terris cæleſtibus.

** Alexander M. Anaxarchum de infinito mundorum numero diſſerentem audiens; flevisse dicitur: *dignum flere exiſtimans, quòd cum mundi ſunt infiniti, nondũ unius Dominus foret.*

D. Iſid: inter hæreſes damnatas numerat opinionem de multiplicitate mundorum.

V.

ESt figura ſphæricæ conſentiente Pythagora, Platone, Ariſtotele, Stoicis &c. contra Empedoclem, & Orphicos figuram ovi mundo attribuentes.]*

VI.

MUndus non eſt productus caſu, & ſine conſilio Dei, ut cenſebat Democritus, Leucippus, Epicurus, ſed productus à DEO, etiam è mente Ariſtotelis, (a) in tempore, non abæterno, ex m ateria **non abæterna, ut Plato. ***

(c) VII.

---

* Cælum Empyreum quod vocatur in ſcript: Civitas in quadro poſita, non ſpectat ad Phyſicum Syſtema mundi. Sphæricam itaquè Deus mundo figuram dedit, & decoratam & ipſi congruam, quoniam conſentaneum erat, ut quod omnia in ſe continere deberet, ex figura eſſet, qua omnes figuræ continerentur. Plato in Tim. Figura circularis omnium perfectiſſima.

(a) l. 12 Met: tex: 52. ait: *Deum eſſe in universo tanquam Ducem in exercitu omnia gubernantem.* Ex quo ſubintelligi poteſt, quod Ariſtoteles Deo gubernationem adjudicaverit, conſiſtentem, in efficiendo, & conſervando. Avicenna docebat mundum creatum per quandam intelligentiam.

** In principio creavit Deus cælum & terram. Gen. 1.

VII.

CReatus eſt mundus 4055. annis ante Nativitatem Chriſti * verno tempore, dum Sol in ariete verſaretur. **

VIII.

COſmographia eſt deſcriptio mundi, quò ad ſphæram cæleſtem & terreſtrem. Geographia *** quò ad ſphæram terreſtrem. Elementa Coſmographiæ & Geographiæ eſt ſphæra, maximè armillaris, & illius circuli, in majores &

IX.

---

* Q. curioſa Quamdiu mundus durabit? ℟ Probabile jûdicant aliqui ex motu cæli duraturum annos ſaltem 20161. . . . tunc enim motum proprium abſolvet firmamentum.

* Ægyptiorum hiſtoriæ antiquitatem jactāt centum millium annorum. Unde Lactan: de Egyptiorum narrationibus: *Illos deliraſſe, quia ſe poſſe argui non putabant, & ideo liberum ſibi crediderunt eſſe, mentiri.* Diodorus Siculus excuſat Ægyptios, quòd ſcilicet annos numeraverint juxta circulum Lunæ.

** *Non alios primæ creſcentis origine mundi Illuxiſſe dies aliumvè habuiſſe tenorem Crediderim, ver illud erat, ver, magnus habebat Annus* Virg: 2. Georg.

*** Anaximander primus tabulas Geographicas deprehendit.

minores exdiviſi *

SYſtema Mundi aliud eſt Ptolemaicum, Ægyptiacum, Tychonicum, Riccioli, Copernicanum. Copernicanum ſalvîs rationibûs phyſicîs ſubſiſtere non poteſt, adeòq; motus terræ à Niceta ** Syracuſano, Philolao, Ariſtracho, antiquioribus Philoſophis, ex recentioribus à Cuſano, Copernico, declaratus, refellitur. ***

DE CÆLO

X.

CÆlum à cælando juxta Bedam, quod ſuperiora corpora cælet, componitur ex materia ejusdem ſpeciei, cum

* Q. Curioſa. Quis inventor Sphæræ? ℞. Nonnulli Atlantem Aſtrologiæ peritiſſimum ferunt, qui fabulis dedit occaſionem, quaſi humerìs cælum ſuſtineret. Hercules primus ſphæram in *Græciam* intulit, ut Plinius, Laërtius Anaximandro, Archimedi alii adſcribunt.

** Primus Nicetas (ut Tull: 1. Tuſcul: q;) *Syracuſanus* terram moveri ſenſit.

*** Pythagoras cubicam figuram terræ attribuit. Hinc manavit ille ritus, ut cubus immotæ terræ ſymbolū eſſet, & Opi id eſt telluri quieſcenti Sacerdotes ſedentes ſacrificarent.

ſublunari,* & forma ſubſtantiali.

XI.

CÆlum non eſt corpus ſimplex ut docebat Ariſtoteles, ſed conſtat ex elementis, probabiliusq; cælum in quo ſunt ſtellæ fixæ eſſe aqueum, in quo Planetæ, igneum ** XII,

UNicum Cælum admittebat S. Chryſoſtomus cum aliis apud Ricciolum. (b) Alii duos ut S. Clemens, Anaſtaſius. Alii tres, ut Baſilius, Ambroſius, Alii 4. ut S. Athanaſius 5,6, ad 14. alii multiplicarunt Cælos, nonnulli 50. 300. admiſerunt, probabiliùs tamen dari cælum, aëreum, ſydereum & Empyreum.

XIII.

PRoprietates cælorum ſunt fluiditas, vel ſoliditas,

* Ante Ariſt. Plato, & omnes Philoſophi. Verba ſunt S. Th. p. 1. q. 66. A. in C. poſuerunt omnia corpora eſſe de natura 4 elementorum, unde cum 4 elementa communicent in una materia, ut mutua generatio, & corruptio in eis oſtendit, per conſequens ſequebatur quòd omnium corporum materia ſit una.

** Plato advertens calorem & ſplendorem, cæli igneam naturam conſideravit Atomiſtæ ex minimis particulis mobilibus cælum componi aſſerunt, hancq; ſubſtantiam ætherem vocant. (b) l. 9. Sect. 3. de mundi Syſtem:

ſoliditas, corruptibilitas, figura, magnitudo, motus, influxus in ſublunaria.

XIV.

PRobabiliùs eſt cælos eſſe fluidos, id eſt ſubtiles & facilè permeabiles. Hinc Arriaga(c) ait: nihil planè eſſe, nec à ratione, nec ab Authoritate, quod reddat improbabilem ſententiam aſſerentem cælos eſſe liquidos, cogatq; eos defendere ſolidos.*

XV.

CÆlum eſt corruptibile ab intrinſeco, ** figuræ ſphæricæ, *** magnitudo ejus juxta ſpatium loci, ut, quodſi

* Chryſoſt: Orig. Juſt: Cælos fluidos aſſeruit.
(c) Diſp. de Cæl. Nat: Sect. 3.

** Anaximenes voluit ſidera veluti globos clavorum inſtar; cryſtallo infixos. Empedocles, ſolidum cælum putavit in modum glaciei ab igne ex àére compactum. & inerrantes ſtellas cryſtallo alligatas, errantes ab ea ſolutas. Unde Lactantius ex Empedoclis opinione. *Cælum áërem. glaciatum vocavit.*

*** Quid lucidius ſole, & hic deficiet? Eccl: 17. Initio tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli, ipſi peribunt, tu autem permanes &c. Pſ. 105.

*** Cælum ſemiſphæricum tantùm, aut in modum cameræ, aut fornicis vel tabernaculi expanſum exiſtimarunt S. Juſt: Baſil: & alii.

(Clavius ait) unâ horâ quodvis æquatoris punctum in convexo firmamenti conficit, quantū vix annîs 1094. conficeret quis, tametſi quotidie 40. milliaria ſine ulla intermiſſione tranſigeret *

XVI.

DUo motus, communis ſeu primi mobilis, & proprius cuiq; aſtro, admitti debent, quos Plato ipſe in Timæo, & Seneca, & S. Anſelmus advertit.

XVII.

TRiplex eſt ſententia, de cauſa motrice cælorum. *1ma*: docens cælos à ſe ipſis, moveri. *2da*: à ſolis intelligentiis. *3tia*: nec à ſe ipſis nec ab intelligentiis, ſed à ſolo Deo. Probabiliùs eſt cælos, à ſe ipſis moveri, Angelos verò illos

XVIII.

---

* Unde idem Clavius ait, neceſſe fore, ut ſagitta aliqua, aut avis in ſpatio temporis unius Salutationis Angelicæ ſæpiùs, quam ſepties totam tellurem circumeat, ſi motum horarium illius puncti conſequatur, ac pari celeritate moveatur, cum ergo ſpatium illud loci 24. aut 23. vicibus minus ſit, quàm totius firmamenti ambitus, quantus hic ſit, quis non ſtupeat?

motus moderari* XVIII.

ASTra influunt in ſublunaria, ut in bruta, plantas, lapides, homines, non tamen directè, & immediatè in voluntatem (d4) huma-

* Q. 1ma Quomodo Angeli cælos moveant? ℟. Docebant alii moveri cælos per voluntatem, vel intellectum Angelorum; Cenſeo cum Ricciolo per impreſſam qualitatem, quæ dicitur impetus.

Q. 2da. Cum movent Angeli an quieſcant? an vero cum aſtris moveantur? ℟. Ariſt. D. Th. S. Bonav. docuerunt quieſcere in determinato loco, ſcilicet æquatore, ubi velociſſimus motus & imprimere impetū cælo cui ſunt præſentes. Alii, quòd Angeſus, qui movet totum cælum, puta, primum mobile, in una determinata parte quieſcat & qui planetas, movetur ad motū epicycli, ut motum illi, ac planetæ imprimat. Quod conforme Scripturæ motum Solis Eccl. 1, deſcribentis: *Oritur Sol, et occidit, & ad locum ſuum revertitur: ibiq; naſcens gyrat per meridiem, & flectitur ad aquilonem, luſtrans univerſa in circuitu, pergit Spiritus, & in circulos ſuos revertitur.* Per ſpiritum intelligit D. Th. *intelligentiam.*

Q. 3tia. Quot intelligentiæ movent? ℟. Alpetragius docebat unicam. Ariſt. tot intelligentias quot orbes cæleſtes, Præter unam aut plures intelligentias ſphæræ motrices; fixarūalias eſſe prototidem planetis.

4ta. Quæ nomina Angelorum moventium? ℟. Secundùm nonnullos apud Kircherum Dial. I. c: 2. ſchol. 4. Michaël, Gabriel, Raphaël, Uriel, Salathiel, Iohadiel, & Barachiel.

humanam. * Juxta D. Thomam Suarez Cælum etiam Empyreum agit in ſublunaria.

XIX.

Aſtrologia Iudiciaria tanquam erronea, & à Concilio Bracharenſi, Toletano, & Patribus damnata, rejicitur, unde Aſtrologi non poſſunt certò prædicere morbos, frigora, ventos, & nec præſcire ex aſtris futura contingentia, quæ ab humana voluntate pendent. **

XX.

Aſtra ſunt menſura durationum; quam obrem annus, Menſis dies, Aſtronomicus ** Politicus, Solaris, Lunaris,

---

Herba *Pentaphilon*, *vulgò* pes Chriſti fugat dæmones, quia quacunq; ex parte findatur viſitur imago Crucis. Unde non major eſt vis ſublunarium, quàm cæleſtium.

** Qui contemplantur Sydera, & ſupputabant menſes, ut ex eis annunciarent, ventura tibi, ecce facti ſunt quaſi ſtipula, ignis combuſit eos Ier: 47. Martinus, Alexander, Sixtus V. Urbanus VIII. damnarunt tales prædictiones ſub excommunicatione, & tanquam reos læſæ majeſtatis punire demandant.

Q. Quis deprehendit obliquitatẽ zodiaci,?&c.

℞. ** Thales Mileſius deprehendit Zodiaci obliquitatem, Tropicorum, & Zonarum numerum, diametrũ Solis, annuã ejus periodũ 365. dierũ.

Eccleſiaſticus, explanatur. *

XXI.

CYclus ſolaris, ſeu ſpatium temporis 28. annorûm, quo peractô idem ordo literarum Dominicalium redit, Cyclus Lunaris ſeu aureus, ** ſeu ſpatium temporis 19. annorum, quo pacto fit coæquatio, *** motus lunaris cum motu ſolari, quis finis aurei numeri, & cur ejectus ex novo Calendario, exponitur.

---

* Q. 1. A quo tēpore Romani incipiebant annū R. à Martio; hinc juxta inſtitutionem Romuli 10. menſes annus continebat quorum Martius primus: Marti dicatus; ſdus Aprilis Veneri ſacer.

Q. 2. Aliæ nationes? R. Arabes à Solſtitio æſtivo, Hebræi antè Moyſen ab æquinoctio autumnali, Moyſe volente ab æquinoctio verno. Chriſtiani â Ianuario. Gallia, ut & Roma in negotiis civilibus â Paſchate. Sed hic mos à Carolo IX. immutatus, ſancitumq; art: 39. Conſtit: Ruſcinonenſis A. 1563. ut Ianuarii primus dies anni cenſeretur.

Q. 3. Quis auxit menſes 10.? R. Pompilius, in gratiam Iani bicipitis Ianuarium, & Februarium in honorem Februi luſtrationum Dei ſuperaddidit.

** Cyclus hic, aureus numerus dictus, quòd tanti illum fecit antiquitas, ut aureis Characteribûs depingi illum conſveverit.

*** Hanc coæquationem Meto Athenienſis invenit. Unde metonica enneadecaeteris dici ſolet, ſeu Cyclus decemnovennalis.

XXII.

CAlendarium vetus in æquinoctio verno, & noviluniis errabat * Calendarium novum à Gregorio XIII. annô, 1582. emendatum, in quo expuncti ſunt dies 10. * * ſtatutæ ſunt epactæ.

XXIII.

EPactæ; * * * ſeu dies, adjecti anno lunari explanantur, ac de illis, & de celebratione Paſchatis quæſtiones reſolvuntur.

XXIV.

COmputus Eccleſiaſticus, ſunt regulæ quædam practicæ inveniendi pleraq; quæ ad Calendarium Eccleſiaſticum ſpectant; *vg.* annum biſſextilem, Cyclum Lunarem, ſolarem, Cyclum indictionum, epacta,

---

* Concilium Nicænum A. 325. æquinoctiū vernum affixit 25. Martij. quod receſſit ad diē 11. Martii, Annô correctionis Calendarii.

** Ex menſe 8bri. ita ut poſt 4. 8bris loco diei 5. aſſumpta dies 15, in Gallia vero 10. Nov: appellatus eſt 20.

*** Epacta nomen Græcum, ſignificat *diem adjectum*, Loco aurei numeri *Cyclus epactarum* inventus ab Aloyſio Lilio Romano Medico, & Aſtronomo.

epactarum, terminorum Paſchalium, novilunii &c. *

XXV.

SIderum ſubſtantia conſtant ex 4. elementis. Unde Chryſoſtomus omnes ſtellas vocat elementa. **

XXVI.

SIderum claſſes dividuntur in ſtellas fixas ſeu inerrantes, *** quæ licet quotidie moveantur circa ſphæram elementarem, ſervant tamen eundem ſemper ſitum, eandem diſtantiàm: Et in ſtellas errantes,

---

* Q. Quomodo novilunium inveniendum? ℟. Numerus epactæ inveniatur, illi addatur numerus menſis currentis hoc die, tandem addatur numerus menſium à Martio, fiat additio. Si fuerint 30. patebit novilunium ipſa die contingere, ſi plusquam 30. rejiciantur 30. reſiduum erit dies Lunæ: vg: *ſit dies* 4. *Auguſti, Epacta currentis Anni* XXII. *Numerus Menſis à Martio* 5*tus, ætas erit Lunæ* 31. *rejiciantur* 30. *erit* 1. *dies à novilunio.*

** Anaximander circa extrema Mundi latera ignem collocavit, Siderum ſphæram pluribus In locis in cribri formam perforatã eſſe putavit, eamq; lucem, quæ per ejusmodi foramina traducitur, *Sidera* vocavit.

*** Stellæ fixæ ante novum orbem detectũ juxta Kircherum numeratæ 1022.

rantes, ſeu Planetas, * qui mutant ſitū, ordinem, & diſtantiam interſe.

XXVII.

LUna, quaſi luminum una: ** eſt corpus ſolidó liquidum, *** figuræ globoſæ, politæ, nullos incolas, animalia, arbores &c. continens, **** primario lumine à ſole, ſecundario à reflexione terræ illuminatæ, ut veteres ſenſerunt, illuſtratur.

XXVIII.

---

* Septem principalia membra in homine, quæ ſunt *Cerebrum, cor, ſtomachus, hepar renes, lien, veſica*, cum ſeptem planetis à Kirchero comparantur. I Dial: 1: c. 2.

** Apud Poëtas triplex nomen accipit, in cælis *Selene* ſive jubar novum, in terris *Diana Hecate* ſive *Proſerpina* in inferis.

*** Heraclius; Lunam ſcapham eſſe putavit, quæ igne repleta circa ſe ipſam convertitur. Xenophanes conſtipatam nubem, Pythagoras ignitum corpus, Stoici ex àëre atq; igne, majori tamen parte formatam ex terra ajebat Plato. Beroſus Chaldæus pilam exiſtimabat, altera ſui parte igneam, altera opacam

**** Macrobius, habitatores lunæ, lunares populos nuncupabat, Xenophanes animalia haberi in luna ajebat, eamq; eſſe terrā multarum urbium.

XXVIII.

MErcurius omnium planetarum minimus, digreditur à ſole 28. gr: ob velocitatem ab Ægyptiis Stella Apollinis dictus, apparet gibboſus, & aliquantò bifariam ſectus.

XXIX.

VEnus ab Ægyptiis *Iſidis ſtella* appellata, ſi ſolem præcedit *Phosphorus*, *Lucifer*, *Aurorifer*, cum proximè ſolem ſequitur *Heſper*, *Veſper*, *Veſperugo*, nominatur:

XXX.

SOl eſt ſubſtantia formaliter ignita, maculæ ſunt nubes quædam & fuligines exhala-

---

Q. 1. Quæ ſit diſtantia Lunæ à terra? ℟. ℟, aliqui, ex veteribus apud Diodorum ab Hyperbeorum inſula prope ſpectari lunam, & contingi poſſe credebant.

Pythagoras 4. ſemidiametrîs terreſtribûs diſtantiam definivit,

Q. 2. Cur Mercurius dictus ſtella Apollinis? ℟. Quòd Apollo ſagittandi peritiâ claruerit, quam æmulatur velocitate ſua circa ſolem motum abſolvendo 87. diebus h. 23. m: 11. 24.

Q. 3. Quis primam naturam Veneris obſervavit? ℟. Pythagoras Sámius, ut *Plinius l. 2. c. 8.*

exhalationibus admixtæ.' *

XXXI.

JUpiter eſt figuræ non accuratè ſphæricæ, faſciîs quibusdam obſcuris cingitur, Satellites ejus 4. deprehenſi **

Saturnus

---

* Q. Quid Veteres de ſole? ℞. Cicero, Heraclius, ſolem Cor cæli appellat, ſplendidiſſimum candiſſimumq; Plato, Anaxagoras, Democritus globum ferri candentem, aut ſaxum ignitum. Anaxagoras, ætherem ignitum celerrimoq; motu agitatum, lapides aliquos abripuiſſe fabulatur, quos adeo incenderit, ut ſidera credantur, quod tam tenaciter docuit, ut non modò caſurum lapidem ex ſole in Ægos flumen prædixerit, ſed etiam, ab Athenienſibus damnatus fuerit, quòd ſolem non Deum, aut animal, ſed ignitum lapidem, laminam, vel maſſam ferream putaret. Secutus præceptorē Archelaus, Euripides, quorum ille laminam auream, hic glebam auream ſolem vocavit.

Q. 2. Quæ pulchritudo Solis? ℞. Eudoxus raptus pulchritudine Solis; optare, ſe dixit, Phäetontis inſtar comburi; dummodo ſolem ipſum propiùs intueri, ejusq; naturam contemplari ſibi licuiſſet.

Q. 3. Quæ magnitudo ſolis? ℞. Plato *inexcogitabilem*, Plinius *immenſam* affirmavit. Parmenides lunæ, Anaximander terræ æqualem, Empedoles, Stoici, Plinius, Lunâ & terrâ majorem, Cleomedes 300, Hypparchus 1050, Ptolomeus 870 Tycho 140 ipſâ terrâ.

** Q. 1 Quis Satellites 1mus deprehendit.? ℞. Gallilæus An: 1610 7 Januarii tubô optico veluti lunulas.

Saturnus eſt lucidus, ſiguræ globoſæ, annullo quodam latiore non ſecus, ac ſphæra armillaris, horizonte cinctus. *

XXXII.

COmetæ ſeu phænomena in cælo apparentia, ſunt duplices: cæleſtes & ſublunares. Utriq; Cōetæ naſcuntur, ex vaporibus tū mundanis, tum planetarum. Præſa-

---

* Q. 2. Quo Nomine dicti? ℟. *ſidera Mædicæa*, in honorem Regiæ familiæ Mediceæ, cui erat additiſſimus.

Q. 3. Quæ Nomina in ſingulari ſatellitum? ℟. Peireſkius Nomina Principum ſingulis adjecit. Interior proximiorq; Jovis, Coſmus, minor. II. Coſmus *major* ſive *imus* III. Maria IV. Catharina, utraq; ex Medicæo genere, Galliæ Reginæ.

Q. 4. An plures Satellites ſunt deprehenſi? ℟. Fonſeca & Rheita æmulati gloriam) Galilæi 5. alios deprehendiſſe ſe putabant, qui illos *Urbano-Octaviana*, vel *Fedinando*-Tertiana, ſidera vocarunt

Q. 5. Quot Satellites Saturni? ℟. Unum detexit Hugeius, duos, Caſſinus, iterum duos Ioſeph: Campana longiſſimō teleſcopiô adhibito.

Q. 1. Quid Veteres de cometis? ℟. 1. Heraclides, quem ſecutus Galilæus exiſtimabat fieri Cometam, cùm terreſtris, aliqua exhalatio ad ſupremam àëris regionem erecta, radiîs Solaribus trajicitur, & *illuſtratur* 2. Keplerus, Cometas nihil aliud eſſe, ajebat, quàm Celeſtem auram, vi quadam occultiore condenſatam,

giunt futura ex inſtitutione Divina. Proprietates illorum ſunt *calor*, *figura*, *magnitudo*, *motus*.

---

quæ ſolis radios colligit, & certis coloribûs pingit, imò junctos diſpergit.

3. Anaxagoras Democritus ajebat, Cometam eſſe duorum, aut plurium ſtellarum unionem, fulgorem proprium conjungentium. 4. Pytagoræorum opinio Cometam eſſe ſtellam ex earum numero, quæ non ſemper videntur, ſed ſtato tempore ſua revolutione exoriuntur.

Q. 2 Quæ eſt materia Cometarum terreſtrium? ℟. Terræ & aquæ halitus, ut probat *Libertus Fromondus* Profeſſ: primar: Philos. in Acad: Lovan: in opuſc: Meteor. Licetus cenſet partē etiā elementaris ignis denſari in Cometas.

Q. 3. Quæ Cæleſtium? ℟. Cum eodem; halitus Planetarum, quoniam & ſidera exſpirant vapores, ut probat idem Author: Lovan:

Q. 4. Quotuplices Cometæ? ℟. Triplices, caudati, criniti, & barbati.

Q. 5. Quæ magnitudo? ℟. Vogelinus ſyrmati Cometæ A. 1532. milliaria Germanica 182. dedit. Cyſatus Annô 1618 Cometam 550. milliaribûs Germanicîs circumſcribit.

Q. 6. Quanta duratio? ℟. Plinius l. 2 c. 15. decernit: *breviſſimum, quô cernuntur ſpacium 7. dierum annotatum eſt, longiſſimum 80. Sex menſibus tamen Neronis principatu, ſpectandum ſe præbuit.*

Q. 7. An malum præſagiant? ℟. Cum Fromondo libro 3. meteorol. Cometa, res quidem naturâlis eſt, ut Iris, utraq; tamen ſupernaturalem à Deo ſignificationem habet. Et huc verba Divi Damaſcen: Fid: Orth. c. 7. ducere potes: *Cometæ Dei imperiô certîs temporibûs conſlantur, rurſusq;, dilabuntur.*

XXXIII.

EClipſes vocantur *labores*, *deliquia*, *defectiones* ſiderum. Eclipſis ſolis eſt, cùm diametraliter terra opponitur ſoli & Lunæ, ſitq; in plenilunio, ſed non

(*f*) omni.

---

* *Q.* 1. Quid de Eclipſi Veteres? ℟. Xenophanes ajebat Lunam dum eclipſim patitur, extingvi: Epicurus eclipſim contingere poſſe, vel per extinctionem proprii luminis, aut per inductionem aliarum quarumdam interpoſitatum rerum, ut terræ, certæ partis Cæli, aliarumq; .

Q. 2, In quibus punctis contingant eclipſes? ℟. In Circulo, qui in duobus punctis oppoſitis eclipicam bifariam ſecat. Hæc puncta vocantur: *Nodi*, atq; illud, in quo planeta aſcendit: *Caput draconis*, aliud autem, per quod deſcendit, *draconis cauda*. utrumq; vero punctum *Sigizii* dicuntur.

Q. 3. Quamdiu durat? ℟. Xenophanes refert ſolis eclipſim contigiſſe, quæ integrô menſis ſpatiô duraverit. Plinius aſſerit ævô ſuô contigiſſe Imperatoribus Veſpaſianîs, ut 12. diebûs utrumque ſidus ſolis, & Lunæ quæreretur.

Q. 4. Quis *1mo*, obſervavit eclipſim, & ejus rationem? ℟. Anaximander Philoſophus, primusq; ſcriptô edidit unde Luna illuminetur, obumbreturq;. Anaximandro prælusit Thales Mileſius, qui *1mo*. inter Græcos eclipſem illam prædixit, quæ, ut Herodotus vult, annô 6tô. belli, inter Lydos, & Medos contigit.

Q. 5.

omni. Eclipſis Lunæ, cùm diametraliter ſoli opponitur, fitq; in Novilunio ſed non omni. Eclipſes planetarum fiunt, cùm unus planeta obtegit alium. *

DE ANIMA
XXXIV.

MAlè definirur Anima *eſt cogitatio mentis*. Meliùs ab Ariſtotele, per ordinem ad corpus; *eſt actus unus ſubſtantialis corporis organici, potentiâ vitam habentis*. Per ordinem ad ipſam animam: *Eſt pricipium activum ſentiendi, vel vegetandi, vel ratiocinandi.* **

---

* *Q*. 5. Quæ obſcuritas àëris in eclipſi? ℞. A. 1654. tanta fuit obſcuritas, ut neq; ſcribi, neq; legi potuerit, & plurima ſidera viderentur, nocturnæ volucres è nidis erumperent, in quos diurnæ ſe ſe receperunt & ſubita caligine perterriti, in terram deciderent, quod etiã A. 1699. & 1706. memoratur.

** *Q*. 1. Quid Nomen animæ? ℞. Anima ex Græca voce, Latinè ſignificat ventum Hinc Deus *Gen*: 2 inſpiraſſe legitur homini ſpiraculum vitæ.

Q. 2. Quid de natura animæ Veteres? ℞. CumLactan: de Opif: hom: C. 17. Quid enim ſit anima nondum Philoſophi convenerunt Heraclitus apud Laërtium dixit Animæ naturam ſic eſſe abſtruſam, ut nemo illam ſit inventurus, quantumcunque omnem lapidem moveat.

XXXV.

Anima non eſt de genere accidentis, quale voluerunt Atomiſtæ, in certa diſpoſitione atomorum ſtatuentes animā, vel ii qui harmoniam quandā & temperamentum elementorum, ſed eſt forma ſubſtantialis diſtincta ab atomis, elementis, ſangvine *

XXXVI.

Anima rationalis eſt: Vegetativa, * * (f2) ſeſintiva,

* Q. 3. Qui ſubſtantiam dixerunt animam quæ eorū opiniones? ℞. Democritus docebat eſſe atomos per àërem volitantes, & ideo animalia indigere reſpiratione, ut videlicet renovent partem animæ. Heraclius exhalationem calidam: unde apud Ethnicos originem habuit error, quo cenſebant infeliciſſimum mortis genus naufragium, quo putabant mediîs in aquis animam extingvi. Diogenes àërem, Thales aquam, Criſias ſangvinem. Hinc Virg: *Purpuream vomit ille animam.*

Q. 4. An anima ſit particella Divina increata? ℞. Ethnici Philoſophi & plurimi Hæretîci, ut Gnoſtici, Manichæi, Priſcillianiſtæ hunc errorem docebant, ut Iren: l. 1. c: 24. adver: hæreſ: D Aug: l: hæreſ: c: 46. teſtatur: Hanc inſaniam damnavit *Conc: Bravar. c: 5. & Leo P. Pontifex ep: 92.*

** Q. 1. An plantæ vivant? ℞. Antiqui Philoſo

ſenſitiva, & rationalis. Vita illarum in actu 2*do*; conſiſtit in motu immanente procedente ab intrinſeca natura rei cùm eſt in ſtatu naturaliter ſibi debito. *

XXXVII.

IN uno vivente non dantur plures animæ diſtinctæ, ſimul, ut volebant Stoici teſte Plutarcho, (d) cenſentes in homine 8. animas, viſivam, auditivam, guſtativam, tactivam, locutivam, generativam, ac demum rationalem, quæ cæteris imperet.

Philoſophi, & Carteſiani negant; rationes tamen ſvadent 1. D. Paul. ad Cor: 10. *quod ſeminas non vivificatur, niſi priùs moriatur.* 2. Dion: Areop: de Div: Nomin: c. 5. loquens de vita Dei, ita cōcludit: *ex ipſa, & omnes plantæ juxta externam vitæ harmoniam, ut vivant, acceperunt.* 3. Dantur in plātis operationes vitæ, ut ſunt: nutritiones, augmentationes &c. ſicut in homine, igitur in plantis datur principium vitæ.

* Q.2. Utrum aliquid poſſit vivere per actum vitalem productum ab alio? R. non poſſe. Ratio eſt, quia ſequeretur. 1*mo*. DEUS producendo in nobis actus vitales, quòd viveret per illos. 2*do*. quòd voluntas merè ſe paſſivè haberet ad actus bonos. 3*tio*. quòd poſſet quis amare DEUM. per actus alterius, adeoq́, amare aliquem, eſſet nihil agere, niſi pati. 4*to* quòd poſſet quis nutriri, augmentari, per alterius cibum ab alio ſumptum. (d) l. 4. de placitis Philos. c. 3.

imperet. * Sed anima una ut definivit Concilium Viennen: Tolet: damnando ſententiam aſſerentem dari ſimul in homine duas animas, quarum una ſit ſenſitiva, corruptibilis, alia intellectiva, immortalis, & præterea plures partiales vegetativas. XXXVIII.

ANima totum corpus unit, eſtq; in toto corpore, adeoq; non aſſiſtit merè corpori, ut voluit Plato. ** Anima

(f3) rationalis

---

* Manichæi docebant duas animas rationales in homine, unam inclinantem ad malum, alteram ad bonum.

** Q. 1. In qua parte Corporis locabant animam veteres? R. Plato, Pytagoras, Democritus, in capite, Xenocrates in vertice, Hypocrates, in cerebro, Diogenes, in arteria cordis concava, Parmenides & Epicurus, in toto pectore, Stoici, in corde, Carteſius, in conario, ſeu glandula pineali, quæ in ſuperiori cerebri parte reperitur.

Q. 2. Quomodo intelligendus D. Hieron: ex verbis Chriſti: *de corde exeunt cogitationes &c.* colligens animam ex diſciplina Chriſti in corde, utpote fonte cogitationum, reſidere? R. Non ſequitur animam ſolùm cor informare, illiq; uniri, ſicut quamvis caput, juxta oppoſitos inſiſtentes Platoni, ſit officina cogitationum, imaginationum

rationalis tota in qualibet parte corporis.

XXXIX

DAntur animæ ſenſitivæ brutorum, â ſangvine & ſpiritibus vitalibus diſtinctæ, adeoq; bruta nõ ſunt mera automata & machinæ elaſticæ, ut contendunt recentiores *

XL.

ANimæ ſenſitivæ brutorum etiam perfectorum ſunt diviſibiles integraliter

XLI.

---

ginationum, non ſequitur animam ſoli uniri capiti. Intelligendus itaque quòd effectus paſſionum noſtrarũ producuntur & ſentiuntur maximè in corde.

* *Q.* 1. Quid Authores de vita brutorum. ℞. triplex eſt Sententia *1ma*, Epicureorum, animam rationalem, æquè hominibus ac brutis ineſſe volentium, hancq; animam conſiſtere in atomorum diſpoſitione. Item Pytagoræorum, transmigrationem animarum, ex homine vg. in brutum, admittentium. Poſt Galenum nonnulli Recentiores belluis rudem ac imperfectam rationem, ac nonniſi circa res ſenſibiles, adſcribunt. *2da*. Carteſianorum potiusq; Gomeſii Pereiræ; Medici Hiſpani, qui eam opinionem A. 1554 priòr docuit, omnem ſenſum a belluis removens, ſed vel in ſangvinem omnes motus & actiones refundentem. *3tia*. Peripateticorum, quæ ſenſum belluis tribuit, ratione & intellectu carentem.

ter ut Aug: in partes homogeneas. (e)

XLI.

ANimæ ejusdem ſpeciei compoſitorum ſunt æquales in perfectione ſubſtantiali, vg: hominis ingenioſi & rudis.*

XLII.

CAro, oſſa, nervi, capilli, ungves, ſangvis omneſq; partes integrales, tum, ſimilares tum diſſimilares, tum mediæ animantur ** Hinc S. Thomas dicit, *quod manifeſtum ſit, quod ad naturã corporis humani pertineant carnes, oſſa & ſangvis.*

XLIII.

(e) *l: 1. de imm: an: c. ult: moles omnis quæ occupat locum non eſt in ſingulis ſuis partibus tota ſed in omnibus. Quare alia pars ejus alibi eſt, & alibi alia.*

* *Q.* 1. An animæ habeant ſexum? ℞. in Spiritibus nulla ſexuum diſtinctio, quia ſpiritus uti & Angeli, hôc modô non diſtingvuntur, nam membra corporis hoc diſcrimen faciunt, ut D. Aug. l. 1 de orig. An. c. 18. Apelles hæreticus contrarium ratus erravit, quem rejicit Tertullianus l. de anima.

** *Q*, 2. An Chriſtus D. Sangvinem aſſumpſit? ℞. Aſſumpſit corpus juxta Theologos ex Sãgvine B.V.M. formatum, 4. humoribus conſtitutũ, ut ait Innoc: III. in quadam extravag: teſte Hurtado, quod ſangvis & aqua fluxerit ex latere Chriſti, ut oſtenderetur: *Corpus Chriſti habuiſſe 4. humores, qui pertinent ad veram Conſtitutionem Corporis Chriſti.*

XLIII.

DAntur ſpecies impreſſæ; tum ad ſenſationes, tum ad intellectiones, quæ non ſunt a natura inditæ, nec ſunt effluvia ſubſtantialia, nec vana ſpectra, ſed accidens emanatum ab objectis, requirunrutq; ad actus vitales tanquam mera conditio. *

XLIV.

ANima rationalis eſt, ſubſtantia Spiritualis producta a ſolo Deo, ut etiam Auguſtinus loquitur. (f)

---

* Q. 1. Quomodo impreſſiones plurium objectorum explicantur? R. Card: Ptolom. Phyſ: part: diſs: 5. ſect: 3. explicat: quod ſpecies ſenſibilium in omnibus fibrillis ſeu tubulis ex quibus cerebrum conſtat impreſſas eſſe, ſaltem in iis quæ in cerebro continuatæ, & connexæ ſunt cum filamentis nervi cujusque certo ſenſui externo deſtinati, per quem impreſſio a ſenſu propagatur ad cerebrum. Coacervationis plurium ſpecierum affert exemplum chartæ, in qua plures figuræ Mathematicæ ſimul deſcriptæ: nempe circulus, triangulū, quadratum. & ſine ulla confuſione diſcernitur circulus a triangulo.

(f) De ſp: & an: c: 8. Anima inquit: eſt ſubſtantia rationalis, intellectualis à Deo facta, ſpiritualis non ex Dei natura, ſed potiùs creatura ex nihilo facta. Tertullianus l. de. an: ajt: animam per comparationem ad Deum ſimplicem ſpiritualem, & animam, & Angelos compoſita eſſe, & materiata.

XLV.

ANima rationalis ex natura ſua eſt immortalis [* phyſicè, ejus immortalitas poteſt demonſtrari lumine naturali tum moraliter, tum phyſicè.**

XLVI.

---

* Q. 1. Quid veteres de anima rationali? ℞. Thales Mileſius omnium primus cenſuit animam eſſe naturam irrequietam. Pythagoras numerum, ſe moventem. Ariſtoxenus Muſicus harmoniam. Juxta Triſmegiſtum anima rationalis eſt verus horizon æternitatis, & temporis, atq; intelligibilis, corporeæq; naturæ nexus, & confinium.

** Q. 2. An immortalitatem animæ omnes agnoverunt? ℞. Plato conſcripſit librum de immortalitate animæ. Immortalem eſſe animã docuerũt: Triſmegiſtus Epictetus Pythagoras, Aratus Chaldæi, Ægyptii, Perſæ, ac gentes omnes quæ Philoſophiæ dederant operam. Unde & Ovidius.

Morte carent animæ, ſemperq; priore relicta
Sede, no vis domibus vivunt habitãtq; receptæ.

Q. 3. Quid Ariſtoteles? ℞. Ariſtoteles l: 3. de anima, textu 20. dicit, *intellectum poſt corpus manere*. Ariſtoteles de animæ immortalitate optimè ſenſiſſe deprehenſus, cum edictõ Urbani VIII. nondum ſummi Pontificis à Doctoribus Catholicis inquireretur, ut fusè P. Gengell in def: Ariſt; Phil: tract: 1. prop. 36.

Q. 1.

XLVI.

POtentiæ amimæ ſunt: voluntas, intellectus, memoria, quæ nec realiter, nec formaliter ex natura rei, nec virtualiter diſtingvuntur ab anima, & inter ſe.*

XLVII.

OBjectum intellectûs: eſt verum, vel falſum, voluntatis: bonum vel malum, memoriæ: res cognita.**

XLVIII.

DAntur ſenſus interni, ſeu potentiæ animæ ſenſititivæ, quæ ſunt: ſenſus cōmunis, phantaſia, æſtimativa, memoria: datur etiam facultas patetica, ſeu appetitus

---

Q. 3. Quæ neceſſitas controverſiæ de Immortalitate animæ? ℟. Auguſtinus 16. Conf: c: ult: fatetur de ſe ipſo, quòd, niſi animæ credidiſſet immortalitatem, Epicureis adhæſiſſet. Cic: l: 1. Tuſcul: Nemo unquam ſine magna ſpe immortalitatis offeret ſe ad mortem.

* S. Bernardus de inter: dom. c: 67. ajt: Intellectus eſt anima, voluntas eſt anima & memoria, ſunt una anîma.

** Q. An in DEO datur memoria? ℟. negant aliqui ex eo, quià DEUS non cognoſcit præterita ut præterita, ſed ab æterno cognoſcit omnia, ut præſentia.

titus ſenſitivus duplex, iraſcibilis & concupiſcibilis*

XLIX.

SEdes potentiæ appetitivæ in cerebro, adeoq; affectus animi, primò in cerebro, non in corde excitantur **

L.

---

* Q. 1. Quid eſt appetitus concupiſcibilis? ℟. eſt facultas qua appetitur ab animali bonum per ſenſus apprehenſum, abhorrens à malis quæ illi bono oppoſita ſunt.

Q. 2, Quid iraſcibilis? ℟. eſt facultas qua animal excitat ſe ad bona ardua, & contra mala, quibûs boni poſſeſſio impeditur; vel turbatur.

Q. 3. Qui ſunt effectus, ſeu motus appetitûs utriusque. ℟. S. Thom: 11. enumerat, qui cum alteratione & paſſione corporis fiunt. quorum ſex: *amor, odium deſiderium, fuga, gaudiū, triſtitia,* in appetitu concupiſcente reponuntur. alii 5: *Spes, deſperatio, timor, audacia ira,* in iraſcibili.

Q. 4. Quid Virgilius de his motibus? ℟. Stoicorum ſecutus diviſionem l: 6. Æneid: ex Platonicorum opinione, in perſona Anchiſæ loquens; mundum hunc informari Divino Spiritu ait, ex quo ortas eſſe animas, corporibus, tanquam tenebris incluſas, in quibus patiuntur affectiones animi.

Hinc cupiunt, metuuntq; dolent, gaudentq; nec auras
Reſpiciunt clauſæ tenebrîs, & carcere cæco

** Q. 5. An quilibet motus ſpirituum eſt paſſio? ℟. cum S. Damaſc: l: orth: fid: c: 22. leves

L.

SEnſatio, eſt actio ſensûs * ſeu affectio circa objectum ſenſibile, differt eſſentialiter ab intellectione.

LI.

SEnſus externi ſunt 5. viſus, auditus, guſtus, tactus, odoratus, explicatur illorũ ſtructura.

---

22. *leves motus atq; hujusmodi, ut nullum ſui ſenſum præbeant, nondum paſſionum nomen obtinent, magnitudinem enim, quæ alicujus momenti ſit, habere debent.*

Q. 6. Quæ cauſa paſſionum contrariarum? ℟. Plato ſenſit; *quod placet, cum eo quod diſplicet pugna*, unde diſtrahitur in diverſos ſenſus, & oppoſitas affectiones anima.

Q. 7. Unde oritur perturbatio interna? ℟. Plato cenſet oriri ex voluptatis & triſtitiæ commixtione. Hinc, idem Plato l. de leg: Quemlibet habere intra ſe conſiliarios duos oppoſitos, & amentes, voluptatem, & dolorem, iſti duo conſiliarii mutuò diſcordes conſpirant in animam &c.

* Q. 1. Cur Zoophyta quæ carent potentiâ locomotivâ, carent & potentiâ viſivâ, auditiva? ℟. Tales potentiæ datæ ſunt viventi, ut audiendo, videndo, odorando, objectum ſibi noxium poſſit præcavere per fugam. cùm igitur ex defectu potentiæ locomotivæ, non poſſunt ſibi conſulere per fugam, inutiles illis eſſent, potentiæ enumeratæ.

ſtructura admiranda, medii & objecti *

LII.

OBjectum viſûs ** primarium, lumen: ſecunda-

---

* Q. 2. Cur Zoophyta careant potentiâ locomotivâ? ℞. Talis potentia eſt animalium perfectorum, quæ pluribus indigent, & plura habent contraria; quæ per mutationem loci debent vitare, & ſibi neceſſaria invenire. Zoophyta ſunt animalia imperfecta, pauca habent contraria, quæ in eodem loco ab ipſa natura præcavere poſſunt, & paucîs indigent, illiſq; aliunde natura alimentum in eo loco, ubi ſunt affixa providet: ut notat Ariſt: l: 5. c. 15. de hiſt: animal: de Pinna, intra cujus latebras prægrandis latet piſciculus nomine *Pſilla*, habens potentiam viſivam, qui, cum viderit intra domum Pinnæ ingreſſos alios piſciculos, levî morſu Pinnam admonet viſu carentem, quæ ſic admonita claudit ſuas valvulas, & prædam piſciculorum dividit cum Pſilla monitore ſuo.

Q. 3. Cur animalia imperfecta, licet careant cæterîs potentiîs, habent potentiam ſenſitivam appetitus? ℞. omnia animalia prædita ſunt ſenſu tactûs, tactus autem percipit primas qualitates. Calorem, frigus, humiditatē, ſiccitatē, quarum aliæ malæ ſunt, aliæ bonæ, & convenientes viventi.

** Q. 1. Cur nobis mobiles oculos natura dedit? ℞. Cum Cic: lubricos enim oculos fecit natura & mobiles, ut & declinarent ſi quid noceret, & aſpectum, quo vellent, facilè converterent.

ſecundarium, color. Lumen eſt qualitas phyſica, definiturq́; ab Ariſtotele: eſt *actus perſpicui, interminati, quatenus perſpicuum eſt.* Color: eſt *motus perſpicui in actu.* Color diſtingvitur a lumine, adeoq́;, dantur veri, ac reales colores. *

LIII.

Q. 2.) Cur oculi rotundæ figuræ? ℟. quia hæc figura maximè ad motum idonea.

Q. 3. Cur æquales magnitudines ordine poſitæ, remotiores, apparent minores, viciniores majores? ℟. quia illa ſub minore, hæc verò ſub majore videntur angulo, juxta principia Opticæ: *Sub majori angulo viſuali ſpectata, majora apparent, & ſub minori, minora, & ſub æquali, æqualia &c.*

* Q. 1. Quid de coloribus veteres? ℟. Epicurus docuit: *Non eſſe colores cohærentes corporibus, ſed juxta quosdam respectus viſûs, ordines, poſitusq́; ſigni:* Ariſtarchus Samius ex Epicuri ſententia dixit: incidentem in ſubjectas res lucem, colorem eſſe, & conſtituta in tenebris corpora colore deſtitui.

Q. 2. Quid recentiores? ℟. Carteſius, varios colores ex recto, vel circulari motu ſubſtantiæ æthereæ, five globulorum 2di elementi repetendos arbitratur. Hookius ex varia & inæquali obliquitate, qua ſubtilis ac æthera materia impellitur. Neuthoni hypotheſis lucem ex diſſimillibus partibus S. heterogeneis radiis compoſitam eſſe opinatur, quorũ alii magis, alii minùs refringi poſſunt.

LIII.

OBjectum auditûs eſt ſonus ex corporum inter ſe colliſione productus. Ad ſonum tria requiruntur: percutiens, percuſſum, & medium interceptum. *

LIV.

ODor ** juxta Ariſtotelem eſt *fumoſa evaporatio*, quæ diffunditur ſphæricè, ut corpuſcula ignea ex flamma. Sapor, eſt *qualitas ex humido per calorem temperato*

---

* Q. 6. Qua ſimilitudine organum auditûs explanari poteſt? ℟. ſimilitudine tubæ. 2. ſimilitudine ſpecûs prope Syracuſas inter rudera latomiarum perſtantis, cujus in pariete & fornice exciſus eſt ductus ſpiralis, & cochleatus, in gyros ſenſim decreſcentes, quo ductus altiùs aſſurgit: tollitur enim uſque ad apicem fornicis ſublimem a ſolo ſpecûs juſtæ domûs altitudine, ubi ductus ille explicatur in formam auriculæ pertuſo foramine, unde olim Dyoniſius Tyrannus exaudiebat Voces eo in carcere concluſorum.

**. Q. 1. Quæ elementa ſunt ſine odore? ℟. Tria: Ignis, Aqua, àër, quæ per ſe odorem non exſpirant: teſte tamen Plinio l. 16. c: 87. impreſſiones odorum ſuſcipiunt.

Q. 2. Quomodo odores naſcantur? ℟. Plato in Timæo inquit, madefactione, putredine, liquefactione, rerum, evaporatione quarumdam gignuntur.

Q. 36.

rato reſultans. * Objectum tactûs ſunt *1mæ* qualitates, aliquæ *2dæ*, quæ dicuntur qualitates tangibiles.

LV.

DE motu animaliũ ſpontaneo, ** quo, ope muſculorum, animal artus, & membra

---

Q. 3. Cur odores dantur? ℟, Cic: l2. de nat: Deorum, colligit, omnia odorifera, hominum cauſâ creata, ſive, quòd in eis ſolis magis delectetur. Habet tamen homo hebetiorem odoratum animalibûs, quæ naturaliter odorantur, quia habet cerebrum magis frigidum, in quo odores diſſipantur.

* Q. 4. Quid guſtus.? ℟. Juxta Ariſt: l: 5. eth: c: 10. Eſt ſenſus, qui linguâ v. palatô percipit ſapores: ſenſorium guſtûs in corde eſſe dixit abſolutè Ariſt; de ſenſu & ſenſibili.

Q. 5. Quid de tactu? ℟, Guſtus, tactus quodammodo eſt; omnia animalia perfecta guſtu, & tactu prædita eſſe Ariſtoteles ait. Omnes voluptates in animalibus fiunt tactu, ea ratione Philoxenus Ericius poſtulabat collum ſibi longius quàm gruis fieri, nempe quòd tactu illo interno delectabatur.

** Q. 6. Quotuplex motus animalium? ℟. *1mus* communis animalibus imperfectis, ut Oſtreis, & conchyliis, quæ, licèt non moveantur de loco, tamen ſe dilatant, ut capiant cibum, majoremq; locum occupant, dum ſe conſtringunt, minorem. *2dus* in perfectis animalibus, dum ſe progrediendo movent, per natatum, volatum &c.

membra ſua loco movet; 4plex *motus: inceſſus, natatus, volatus, reptatus explicatur.*

LVI.

VAriæ ſpecies animalium, & partes tum ſimilares, tum diſſimilares, *generationes animalium exponuntur.**

* Partes ſimilares 11. à Medicis numerantur,
Os, membra, cutis, caro, vena, arteria nervus.
Tendo, ligamentum, cum cartilagine fibra
Diſſimilares ſeptem.
Crura, caput, thorax, venter, duo, brachia, collum.

** Refert Surius apud Georg. Tholoff: J.U: D. in nova Academia, Lotharing: Profeſſ: non longè à Tartaris Cazanenſibus, in quadã inſula, â graviſſimis viris, narrari, ſemen quoddam inveniri non aſſimile melonum ſemini, pauló, tamen majus & rotundius, ex quo in terra condito, quoddam agno ſimillimum enaſcatur, 5. palmorum altitudine, habens caput, aures, oculos, cæteraq; omnia in formam agni recenter editi, pilum etiam ſubtiliſſimum, carnem tamen nullam, ſed ſangvinem habere, at carnis locô materiam, carni cancrorum ſimilem, ungulas pilis veſtitas, tam liu vivere, quamdiu herbæ vicinæ ſunt ad paſtum.

Q. Quæ lex in motu animalium obſervátur? R. in quadrupedibus obſervatur, quòd illa nõ alternis pedibus in ſiſtaat, ſed tribus, unũq; ex alternis prius ita promovent, ut alter nullo temporis intervallo ſequatur.

Ineſt in explicatione naturæ inſatialibilis ; quædam è cognoſcendis rebus voluptas, in qua una honeſtè ac liberaliter poſſumus vivere; & eſt animorum ingeniorumq; naturale quaſi quoddam pabulũ coſideratio contẽplatioque naturæ.

Cic: fin: l. 4. 5.

THE-

THESES PHILOSOPHICÆ
EX
METAPHYSICA.

I.

ENs eſt univocum, reſpectù DEI, creaturæ, & accidentis. *

II.

ESſentia entis non diſtingvitur realiter ab exiſtentia proportionata; ** eg: eſſentia hominis ab exiſtentia, ut ait Ariſtoteles: (g) *Quid autem ſit homo aliud, quàm hominem eſſe.*

III.

---

* *Q. 1. An creatura ſit ſimilis Deo? ℟. Gen: 1* Creavit *Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. Conſonat Boëtius Conſolat · metro. 3.*

Tu cuncta ſuperno
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipſe
Mundum mente gerens ſimulq; in imagine formans,

(g) 2. *poſt: c.* 7.

** *Q. 2, An mundus erit idem cras, qui hodie? ℟. Sen: ep. 58. Quæcunque videmus ac attingimus, Plato in illis non numerat, quæ eſſe propriè putat: fluunt enim, & aſſidua diminutione, atq; adjectione ſunt. Nemo noſtrûm idem eſt in ſenectute qui fuit juvenis, nemo eſt mane, qu fuit pridie. Hoc eſt, quod ait Heraclitus: In idem flumen bis non deſcendimus, manet enim idem fluminis nomen, aqua tranſmiſſa eſt, &c*

III.

EXiſtentia DEI, cujus inſitum eſſe juxta Origenem: (h) demonſtrari poteſt Philoſophicè a poſteriori. *

IV.

QUælibet creatura tam primo immediate producitur, quàm conſervatur à DEO. **

V.

IMplicat creaturam operari ſine concurſu Dei. Quare DEUS concurrit efficienter

---

(h) l. 1. & 4 contra Celſum.

* Q. 1. An cognoſci poteſt DEUS ex creaturis? ℞. Sap. 13. v. 7. A magnitudine ſpeciei, & creaturæ potuit horum cognoſcibiliter creator videri. S. Paulus ad Rom 1. agens de Gentilibus Philoſophis ſic v. 19. concludit: Quod notum Dei manifeſtum eſt in illis; DEUS enim illa manifeſtavit, inviſibilia enim ipſius a creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.

Q. 2. Veteribus unde notitia DEI? ℞. ex terræ motu, ut Gellius refert l. 2. noct. c. 28. Perculſos antiquos, DEI nomen uſurpaſſe Deoq; ignoto litatum, ab Ethnicis tempore terræ motus.

** Q. 3. Quis ſenſus antiquorum Philoſophorum de productione? ℞. Antiqui Philoſophi dividebant creaturas in primas, & ſecundas: Primas dicebant, productas eſſe à DEO immediatè, ſecundas, mediatè; ſicut vg. nepos producitur ab avo. Nonnulli docebant, omnes creaturas produci à DEO, non tamen conſervari; ſicut vg. aurifex efficit calicem, tamen illum non conſervat. Error hic refutatur in Scholis.

ſcienter immediatè phyſicè cum creaturis ad omnes earum operationes, & effectus. * Concurſus in actu 2do eſt ipſa actio, per quam cauſa 2da producit effectum.

VI.

PRædeterminatio Phyſica in cauſis neceſſariis non datur, in cauſis liberis, ſalvâ earum libertate implicat **

---

* Q. 1. *An creaturæ operentur?* ℟. *veteres negabant creaturas operari, ſed ſolus* DEUS *juxta illos omnia operatur, creaturæ verò ad operandum aſſiſtunt; verùm hic error refellitur, ubi probantur dari veræ cauſæ activæ*

Q. 2. *An verum, quòd creaturæ mediatè dependeant in operando à* DEO? ℟. *Docebant Aurelius, Durandus, verùm melior ſententia docet, immediatè dependere, ita, ut contrariam ſententiam Toſtatus, Valentia declaret hæreticam, Bonav: impiam.*

** *Q.* 1. *Quis primus author Prædeterminationis phyſicæ?* ℟. *Bannez; unde, à non nullis Banneziana nuncupatur.*

Q. 2. *An S. Thomas, contrarius ſit Prædeterminationi?* ℟. *Ex multis locis patet eſſe contrarium. d. 39. q. 1. art. 1. Ipſa potentia voluntatis, quantùm: in ſe, eſt indifferens ad plura, ſed quod determinatè exeat in hunc actum v. illum, non eſt ab alio determinata, quàm ab ipſa voluntate. 1. de pot: 4. ad 2. Licèt cauſa prima maximè influat in effectum, tamen ejus influentia per cauſam proximam ſpecificatur & determinatur.*

VII.

Cauſæ ſecundæ neceſſariæ determinantur determinatione radicali ab individuis requiſitis ex parte actûs uni proximi ſe tenentibus ad individuum effectûs Cauſæ liberæ determinant ſe ipſas ad individuum actûs determinatione radicalî latius tali * VIII.

Q. 3. Quid Thomiſtæ? R. P. Ioſephus de Vita inſignis Doctor Siculus Dominicanus 1665. Panormi librum edidit, in quo tom: 1. diſp: 2. De propr.o, & per ſe principio, unde provenit peccatum. rejicit Prædeterminationem Phyſicam, ut noviſſimum Bannezii inventum, libertatis everſivum, & S. Thomæ planè contrarium. Liber ejus approbatus à Clariſſimis ejusdem Ordinis Viris, R. P M. Paſſerino Procur: Gen: totius Ordinis Prædic: R. P. Candura Provinc. Trinacriæ R. P. M. Ioſ: Gigante Regens ſtudii Gen. Panormi R. P. M. Th: Ancona Regens ibidem. Hi P. Ioſephi doctrinam non ſolùm approbant ut bonam, & Thomiſticam, ſed tanquam neceſſariam ut doceatur in toto Ordine ac digniſſimam ut è cunctorum D. Th: aſſeclarum manibus nunquam corruat, ut P. Aler. teſtatur 1. Phyſ: d: 5. c. 2.

Ordinis S. Dominici Scriptoris non infimi ut ajt Aler dictum typis vulgatum P. Campanellæ de Thomiſtis: prædeterminantibus referam: Thomas non erat cum eis.

* Q. 1. An DEUS ſit cauſa peccati in hominibus? R. DEUS non eligit peccatum, nec complacet ſibi in illo, nec ſtimulat ad peccatum,

quod

VIII.

PRæter poſſibilitatem activam extrinſecam, quæ eſt Omnipotentia DEI, datur poſſibilitas intrinſeca creaturarum, * quæ conſiſtit in non repugnantia prædicatorum ad exiſtere, cum qua connectitur cauſa increata, & creata.

IX.

NUlla cognitio poteſt dari, quæ ex parte objecti attingat negationem objectivam diſtinctam ab ente reali. Unde, omnis

---

quod in hominibus evincitur eos eſſe cauſam per ſe peccati. Quare Concil: Trident: ſes: 6. can: 6. *Si quis dixerit, mala opera, ita ut bona Deum operari, non permiſſivê ſolùm, ſed etiam propriè & per ſe, adeo ut ſit proprium ejus opus non minùs proditio Judæ, quàm vocatio Pauli, anathema ſit.*

* An inter poſſibilia ſit navigatio in àëre? ℟. ſub tempus nuptiarum Caroli Valeſii, Pariſiis elaborata triremis argentea, quam 24. remiges argentei per àëra impellebant. Hæc quæſtio legitur apud P. Knitel in theſibus ſuis, & facile ſibi perſvadet, cum æther áëre levior ſit, ac ita navis confecta ex leviſſima materia, ſuperficie poſita, in àëre ſuſtineretur, remisq; huc, illuc impelli poſſet, Imo Lana oſtendit; etiam hoc fieri poſſe in medio àëris ſi navi affigerentur globi, in quibus extracto, quantùm poſſibile àëre, merus quaſi æther maneret.

omnis cognitionis etiam hymerizantis objectum eſt ens reale *.

X.

SUbſiſt entia ignota antiquis Philoſophis innotuit ex myſterio Incarnationis, daturq; in rebus. completis. Hinc, ſubſiſtentia creata adæquata, abſtractè ſumpta conſiſtit in natura completa non unitaa alteri perfectiori ſubſtantialiter perfectivo**

* Q. 2. Quid intelligitur per has voces: negatio, tenebræ ſilentium &c: ℟. intelligi terminos poſitivos, & æquivalere illis. Ideoq́ icùm dico: datur *negatio exiſtentiæ Antichriſti*, *id eſt, exiſtentia Antichriſti non datur*, *tenebræ erant, ſuper faciem*, *ſilentium eſt in templo*, id eſt: lux non erat, ſuper faciem abyſſi, ſonus non eſt in templo. Hæc doctrina S. Auguſtini l. 1. de beata vit: c: 13. Quapropter negationes; privationes, non dantur nemine cog: ſed ſunt modi tendendi cognitionum noſtrarum, attingentes conceptu negativo rem, verum vel falſum de illa enuntiantes.

** *Q.* 1. *Quid* eſt Perſona? ℟. Juxta Böëtium eſt *rationalis naturæ individua ſubſtantia.*

Q. 2. In quo conſiſtit, quôd Chriſtus non habeat perſonam humanã? ℟. Quôd natura humana Chriſti Domini non ſit ſui juris, non habeat actiones proprias, nam omnes, Perſonæ Verbi adjudicantur, juxta illud: *Actiones ſunt ſuppoſitorum.*

Q. 3. Quid requiritur ad rationem ſuppo-

ſiti?

XII.

DAntur præter Deum, ſpiritus creati, ut Angeli Ariſtoteli & Platoni non ignoti,* incorruptibiles. Dantur & animæ rationales, quarum actus corpori conjunctarum ſunt actus intelligendi, volendi, quos liberè producunt, proinde datur libertas tam contradictionis, quàm contrarietatis.

ſiti? ℞. ut natura ſit ſua, ſui juris, ut non communicetur alteri: ut non ſit pars, ut habeat actiones tanquam ſuas: ſic dicîmus; homo orat Rex decernit,

Q. 4. Quomodo innotuit ſubſiſtentia Chriſtianæ Philoſophiæ? ℞. ex Concilio Halcedonenſi & Epheſino contra Neſtorium & Eutychetem procedente, quorum alter docuit in Chriſto duas naturas, Divinam, & humanam, nulla unione Phyſica unitas, ſed morali, qualis adſtruitur inter duos amicos, docuit & totidem perſonas; alter, unicam naturam ex commixtione naturæ Divinæ, & humanæ factam, & unicam perſonam, Concilia contra illos proceſſerunt, duas naturas Divinam, & humanam unitas phyſicè, unam perſonam, ſcilicet Divinam decidendo.

* Q. 1. Quo nomine Angelos appellarunt Plato & Ariſtoteles? ℞. Plato in Timæo & Parmenide: Deos minores, dæmonas, & ſuperos appellat: Ariſtoteles, Intelligentias cælorum motrices. Tertullianus credulitatem Gentilium, & Chriſtianorum fidem ad præſen-

tem

tem materiam exponit. In Apologetico enim ſic habet: Dicimus eſſe ſubſtantias quaſdam ſpirituales, nec nomen novum eſt: ſciunt dæmonas Philoſophi, Socrate ipſo ad dæmonii arbitrium exſpectante quid ni-edatur ſub tribunalibus veſtris, quem dæmone agi conſtet, juſſus a quolibet Chriſtiano loqui ſpiritus ille, tam ſe dæmonem profitebatur de vero, quàm alibi *Deum* falſo, &c.

Q. 4. *Q*uot ſunt dæmones in inferno, & homines mali ſint futuri *ibidem*? ℟. *Quod* attinet homines, erunt pulres mali *in inferno*, quàm boni in cælo, nam; multi *vocati*, *pauci electi*. Quod attinet dæmons, ſunt pauciores *in inferno*, quàm Angeli *in* cælo: nam *draco traxit* [illegible] *partem ſtellarum. Apoc.* 12.

In his nihil dixi ſecundùm opinionem meam propriam, ſed juxta rationes Peripateticorum, & ideò illos laudet, vel reprehendat non me: *Albert. M. ſcribens com: in Ariſt:*

Defendebantur publicè in Aula Scholarum Lublinenſium Soc: JESU â Perill. M. D.* JOSEPHO ROIOWSKI Pocillatorida Urzędovi ſi *Menſe Julio Die horis conſvetis

Impugnatio falſitatis cum debito modo acrimoniæ contentio eſt laudabilis. D. *Tho* 2.2.*quæſt*: 38. *art*: 1.

Ad benignum Lectorem,

parcat erroribus Typi.

DA veniam mendis, veniet tibi gloria docti,
Corrigis errores, ſic mihi Doctor eris;
Sicq́benignus eris Lector, ſi menda libelli
Emendare tuo Marte favente ſines.
Quas liber exſtixit noxas, has diluet alter,
Emêndatus homo gratior eſſe ſolet.

FINIS.

